# COLLOQVIORVM
# MATVRINI CORDERII
# GALLI

Libri tres, et colloquia e Lib. IV-to decem; seu cuncta, quæ olim in *Prœcone Latino* prodiverunt.

Limæ castius Latine dicendi subiecit, passim putavit, alias novis colloquiis suffectis auxit, locupletavit, notis Latinis adumbravit, ac nunc primum in lucem edidit

ARCADIVS AVELLANVS
*Dr. Litt., Dr. Phil*,
PHILADELPHIÆ

PHILADELPHIÆ
TYPIS EXCUDIT CHILTON PRINTING CO.

VENERABILIBVS ET INGENVIS HERVLIS,

NONNIS INCLYTI ORD. PRÆDICATORVM

in perpetuam suæ in I. Latinam pietatis
memoriam, in pignus laudis, gratique
animi ergo opellam hanc

DICAT ET DEDICAT
ARCADIVS AVELLANVS,
Interpres et Editor.

# Lectori Benevolo S.

Opellam hanc *Colloquiorum Maturini Corderii* fere integram (e IV-to enim, seu ultimo libello non ita multa colloquia inedita, nec ea summi momenti, supersunt,) Reip. Litterariæ Latinæ offerentes iuvabit quædam hic non præterire.

Quum superioribus annis *Præconem Latinum* magno conatu edentibus, ea firmamenta ac præsidia, quibus periodica niti solent nobis negari intelligeremus, et ob eam rem tum nostras vires exhauriri, tum ipsam rem Latinam labefactari, laborantibus nobis subvenerat brachiis & humeris Cl. Ferdinandus Philips, Geometra doctissimus, cuius egregia constantia & opera fulti, labores nostri florere ac fructus ferre cœperunt. Arcta hæc amicitiæ per annorum seriem nexa vincula ad simul colendam Latinitatem nos colligarunt, quæ conversatio non modo fructus privatos, sed etiam *Thomam a Kempis* iuncta industria a nobis prolatum pepererat. Convenit etiam inter nos linguam quamlibet tribus cardinibus versari, *descriptione*, *narratione*, atque *colloquio;* linguam binis prioribus, aut alterutro, fultam *mutam*, colloquio accedente *vivam* esse ac fieri.—Eadem tempestate Cl. doctissimusque *Macé*, Dr. Med., in Gallia pari virtute atque gloria, pro iisdem ac nos principiis militabat. Nec mirum, si litteris ultro-citroque datis, consilium evulgandorum colloquiorum inter nos patefecerimus, cui Cl. Vir obsecundans, misso exemplari *Corderii*, eius humanitate, Cl. *Philips* munificentia, nostraque diligentia nova editio *Corderii*, trium opera, est enata.

Factum interea est, ut Venerabiles Herulæ incl. Ord. Prædicatorum Divi Dominici ad Sorores Latinitate viva imbuendas in suum Institutum quoddam occiduum nos evocarent. Officium nobis tanta fide commissum nos methodo nostra *Tusculana*, pro viribus, et e sententia, sic persolveramus, ut tenellæ Virgines intra septem septimanas, quæ antea Latine aut parum aut nihil callerent, examen rigidum Latine *loquendo* subivissent. Quo perfecto Philadelphiam reversi.

nihil antiquius habebamus, quam ut præclara hæc Colloquia, Virginibus Dominicanis dicata, in memoriam rei actæ, evulgaremus.

De proposito nostro certior factus Cl. *F. Philips*, pro sua humanitate, lamellas suis sumptibus fusas, ad rem Latinam provehendam, incunctanter nobis dono dedit, cuius liberalitatis indicem, suas litteras, hicce subiungimus:

MGR. ARCADI AVELLANE,

Amice Colendissime!

Omnino conscius eius voluptatis quæ e lectione ac studio horum Colloquiorum Maturini Corderii refectorum hauriri queant, item, cum gaudio perpendens consilium me quoque obolum ad cœptum adiicere posse, ex quo tyronibus Latinitatis vivæ copiosum fructum carpere liceat; muneris ac privilegii esse duco, primum, ut amico nostro communi, Cl. Dri. *C. Macé*, signifero propagationis Latini sermonis, deinde tibi, *Arcadi Avellane*, qui tanto ingenio, tanta fide ac perseverantia mihi numquam deese consueveras, gratias ex imo præcordio agam; simul etiam, gaudio ac voluptati mihi est tibi cunctas lamellas fusas horum Colloquiorum dono dare. Totum opus est tuum. Spero fore, ut cum cæteris tuis operibus, ad propagandam l. Latinam editis una, hæc quoque Colloquia, præstanter refecta, omnibus Latinitatis Classicæ amicis & cultoribus acceptabilia & chara futura sint.

Cum perpetuo studio tui,

Philadelphiæ, 31° Aug., 1904. *Ferdinandus Philips.*

Postremo, gratiis perennibus erga viros supra laudatos obstricti facem veteris ac probæ Latinitatis hac opella accensam tenellis Virginum Ord. Dominici manibus tradimus, ut ea tenebras mutæ Latinitatis depellere satagant, atque vivam erigere, periclitatam tueri, mortuam sepelire pergant; confidant quoque, Deo opitulante, suam lucernam nunquam exstinctum iri.

Obsequentissimus vobis

ARCADIVS AVELLANVS.

Philadelphiæ, Cal. VII-bribus, 1904.

COLLOQUIORUM

# MATURINI CORDERII

## LIBER I

## COLLOQUIUM I.

ARGUMENTUM *Ludus simulatur, ut sic amice disceptando, morum suavitas et mansuetudo pueris instillentur*

**Bernardus, Claudius.**

SALVE Claudi!

*C.* Tu quoque salvus sis, Bernarde!

*B.* Ludamus paulisper!

*C.* Quid ais inéptule? Vix scholam ingressus es, et iam de ludo lóqueris?

*B.* Ne irascaris, quæso.

*C.* Non irascor.

*B.* Quid ergo sic exclamas?

*C.* Accuso tuam stultítiam.

*B.* Non licet ígitur lúdere?

*C.* Imò licet, at quum tempus est.

*B.* Va, tu nímium sapis.

*C.* Utinam tantum sáperem satis, sed mitte me, quæso, ut répetam quæ mox reddenda erunt præceptori.

*B.* Æquum dicis; volo ego quoque tecum repétere, si tibi placet.

*C.* Eho, quid hoc est? Quid sibi vult ista tam súbita mutátio? Nónne tu modò loquebaris de lusu.

*B.* Loquebar quidem sed non seriò.

*C.* Cur simulabas?

*B.* Ut paucis tecum fabularer.

*C.* Quid illud prodest ?

*B.* Etiam rogas; nunquam audivisti ex præceptore ?

*C.* Nunc mihi non occurrit, quid, inquam, prodest confabulari ?

*B.* Ad nos in lingua Latina exercendos.

*C.* Profectò rectè putas: et ego te nunc magis amo.

*B.* Hábeo tibi grátiam; agè, repetamus pensum[1]: nam brevi præceptor áderit.

1. **Pensum**: Corderius "prælectionem" vocari voluit eam partem institutionis, quam discipulis ad ediscendum præceptores assignare solent. Nos, contra, *prælectione* orationem designandum remur, quæ in publico fit, sive *legendo* ut passim fit, sive recitando, nec ad studiosos, sed ad concursum v. concionem qualemcunque. *Penso* igitur indicamus id quod ludimagister discipulis ad discendum iniungit.

---

## COLLOQUIUM II.

ARGUMENTUM: *Puer bono animo salutat præceptorem, qui, vicissim, salutem humane reddit; docet Deo gratias deberi, pueros officiis, pensa disceddi, rite obire debere, cuncta suaviter, quia mores asperi magistrorum animos discipulorum alienant.*

**Stephanio, Præceptor.**

SALVE præceptor!

*P.* Salvus sis, mi Stephánio. Unde venis tam multo mane ?

*S.* E cubículo nostro.

*P.* Quando surrexisti ?

*S.* Paulo ante sextam, Præceptor.

*P.* Quid ais ?

*S.* Sic est ut dico.

*P.* Tu nimis es matutinus; quis te expergefecit?

*S.* Frater meus.

*P.* An precatus es Deum ?

*S.* Quámprimum frater me pexuit,[1] precatus sum.

*P.* Quómodo.

*S.* Flexis génibus, et coniunctis mánibus, dixi precationem Domínicam, cum gratiarum actione.

*P.* Qua lingua ?

*S.* Gallica.

*P.* O factum bene ! — Quis te misit ad me ?

*S.* Nemo.

*P.* Quid ergo ?

*S.* Ultro veni.

*P.* Mi anímule, quàm pulchrum est sápere ! Nónne est ientandi tempus ?

*S.* Nondum esúrio.

*P.* Quid vis ígitur ?

*S.* Volo réddere nómina quotidiana, si tibi placet audire me.

*P.* Quidni placeret ? Tenes ígitur memória ?

*S.* Téneo, grátia Deo.

*P* Age, pronúntia !

*S.* Sed tu soles mihi vernácule præire, ego autem Latine soleo respondere.

*P.* Bene mones ; istud pæne oblitus eram, responde ígitur !

*S.* Exspecto ut proponas.

*Præceptor hic enumerat vernacule nomina quædan partium corporis, quibus respondet :*

*S.* Caput, vertex, sínciput óccipiut.

*P.* Nunc responde vernácule, atque tenta solus ómnia recitare.

*S.* Fácile fáciam.

*P.* Ego vero te libenter áudiam. (S. *recitat.*)

*S.* Nónne bene dixi, præceptor ?

*P.* Quam óptime.

*S.* Laudetur Dóminus Deus !

*P.* O pulchrum verbum ! Ito nunc petitum ab ancilla ientáculum.

*S.* Malim abs te accipere, præceptor, si tibi non est molestum.

*P.* O quam te amo de isto verbo! age, séquere me, dabo tibi áliquid boni, quia tuum recte fecisti officium.

Quid hoc est?

*S.* Panis cándidus.

*P.* Quid hæc sunt?

*S.* Ficus áridæ.

*P.* Númera!

*S.* Una, duæ, tres, quatuor, quinque, sex.

*P.* O lépidum capítulum! ienta nunc otiose!

1. **Pexuit.** Verbum est *pexo*[3], *xi*, *xum* (-**xui** vix in ullo auctore Romano invenietur; *pectitum*, aliquando). Instrumentum quo crines enodamus et concinnamus, quod e plurimis dentibus consistit, fitque e cornu, ex osse, v. e metallo, *pecten*, *inis*, m., appellatur, inde fit verbum *pecto*. Illud autem, quo crines perpolimus, est *seta*, v. *setaceum*. Nescimus an *fratres* usquam fratres suos pectere soleant; matres v. sorores adultæ solent.

---

# COLLOQUIUM III.

ARGUMENTUM: *Matres, quæ statum tempus ad nutriendum liberos non servant, his non optime consulunt.*

**Hannibal, Beraldus.**

VIS ientare mecum?

*B.* Non hábeo ientáculum.

*H.* Quid? non attulisti?

*B.* Ego domi ientaveram.

*H.* Itane semper facis?

*B.* Mínime; sed quia bene mane surréxeram, sic matri plácuit me tractare.

*H.* Prosit tibi; ego ígitur solus ientabo.

*B.* Ego autem ínterim studebo.

# COLLOQUIUM IV.

ARGUMENTUM: *Præceptor discipulum pensum repetere iubet; puer id læto animo facit; discit inhonestum esse mentiri; variæ normæ ac præcepta grammaticæ inculcantur.*

**Pædagogus, Puer.**

ESNE paratus ad reddendam stúdii rationem?

*Pu.* Paratus sum, ut mihi vídeor.

*Pæ.* Redde ígitur, & esto præsenti ánimo.

*Pu.* Hoc mane primum pronuntiávimus carmen ex Catone; deinde eius interpretationem Latine & vernacule reddídimus; postremo bini tractávimus síngulas partes orationis, cum attributis et significatione.

*Pæ.* Rectene fecisti officium tuum?

*Pu.* Puto me satisfecisse præceptori magna ex parte.

*Pæ.* Vide ne mentiaris; nam ego illum percontabor.

*Pu.* Ut voles, præcptor, nihil hac in re métuo.

*Pæ.* Age, pergamus. Merídie quid habebis réddere?

*Pu.* Habemus declinare verbum *possum* Latine et vernácule.

*Pæ.* Nihil prætérea?

*Pu.* Nihil.

*Pæ.* Ego te istud álias dócui; nónne tenes memória.

*Pu.* Non ausim affirmare donec tentávero.

*Pæ.* Declina in primas personas, cætera erunt tibi facíllima.

*Pu.* *Póssum, Póteram, Pótui, Potúerum, Pótero, Potúero; Possim, Possem, Potúerim, Potuissem.*

*Pæ.* Declina totum Infinitivum.

*Pu.* *Præsens Infinitivi*, Posse; *Prætéritum Perfectum*, Potuisse; cætera desunt.

*Pæ.* Cur hoc verbum *possum* caret futuro indefinito, cur item participio in-*rus*.

*Pu.* Quia non habet *supinum.*

*Pæ.* Quid tum?

*Pu.* Illæ enim voces a supino formari solent.

*Pæ.* Da exemplum in áliquo verbo íntegro.

*Pu.* Ut a supino *lectum,* fit *lecturus,* et a *lecturus,* fit *lecturum esse.*

*Pæ* Rectè sanè. Sed cur prætermisisti *particípium præsens* à verbo *possum,* quum sit in usu, *potens, potentis?*

*Pu.* Quia (ut sæpe nos docuisti), *potens* non est partícipium, licet à *possum* derivetur.

*Pæ.* Quid ergo est?

*Pu.* Nomen est adiectivum.

*Pæ.* Probe meministi; útinam sic pergas semper.

*Pu.* Spero in dies meliora per Dei grátiam.

*Pæ.* Ego quoque idem tecum spero. Nunc restat ut dicas prætéritum cum prole.[1]

*Pu.* *Pótui, potúeram, potúerim, potúero, potuíssem, potuisse.*

*Pæ.* Dic terminationes.

*Pu,* *-i, -ram, -rim, -ro, -ssem, -sse.*

*Pæ.* Dic significationem.

*Pu.* Possum, *vernácule* —; posse, —:

*Pæ.* Hactenus; ecce vocamur ad prandium.

1. **Prole,** non proprie sumitur, sed derivata e tempore præterito perfecto verbi *possum* hic significantur.

---

# COLLOQUIUM V.

ARGUMENTUM: *De officiis puerorum erga parentes; cibus eo tempore eoque loco sumendus ubi et quando parentes statuunt.*

**Claudius, Durantius.**

QUANDO vis prandere?

*D.* Ego iam prandi.

*C.* Quota hora?

*D.* Sesquioctava.[1]

*C.* Tam mane ígitur prandetis?

*D.* Sic fere solemus æstate; vos autem?

*C.* Non prandemus ante sesquidecimam, interdum post undécimam.

*D.* Papæ ! cur non cítius?

*C.* Exspectandus est pater, dum e Cúria rédeat.

*D.* Tu ígitur non potes cantioni psalmorum in aula interesse.

*C.* Raro ádmodum intersum.

*D.* Quómodo es excusatus?

*C,* Exemptus sum illo múnere.

*D.* Quis te exemit?

*C.* Didáscalus,[2] patris mei mónitu.

*D.* Ergòne omnes Senatorum filii habent eiúsmodi privilégium ?

*C.* Habent, modo patres iúbeant.

*D.* Nonne mater posset tibi dare prándium ante réditum patris e Senatu.

*C.* Posset quidem, sed pater vult à me exspectari.

*D.* Quamóbrem?

*C.* Quia sic illi placet.

*D.* Nunc mihi tacendum est. Os enim mihi occlusisti.

*C.* Cur es tu tam curiosus percontator?

*D.* Puer sum ; atque púeri semper áliquid novi scire cúpiunt.

*C.* Fáteor; sed est modus in rebus, ut præceptor nos sæpe docet.

*D.* Ergo discedamus, ut te pransum cónferas.

*C.* Ignosce, quæso, si qua in re te offénderim.

*D.* Ego abs te idem peto; ego, inquam, pótius, qui te offéndere pótui loquacitate mea, sed ínterim nihil mali cógitans.

1. Hora 8½ (sesquioctava, octava cum dimidio) non *prandemus*, sed ientamus; prandemus *meridie*.

2. Græcum est, institutor, præceptor.

## COLLOQUIUM VI.

ARGUMENTUM: *Modestia atque temperantia in cibo potuque commendantur.*

**Franciscus, Vilhelmus.**[1]

UBI hodie cibum cepisti?

*V.* Apud hóspitem meum.

*F.* Quanti prandisti?[2]

*V.* Sex quandrantibus.

*F.* Quid cœna? — quanti cónstitit?[3]

*V.* Tantidem. Tu vero quanti áleris quotídie?

*F.* Pluris quam tu.

*V.* Quanti ígitur?

*F.* Quatuor assibus.[4]

1. **Vilhelmus.** — Omnes omnino auctores, qui post tempora Romanorum scripserunt nomen istud Germanicum *Gulielmum*, *Guilelmum*, vel nescio quo alio modo Latine reddendum esse voluerunt. Hæc omnia absona et absurda sunt, nec exemplis e C. I. Cæsare, e Corn. Tacito, v. alio auctore Rño vindicari queunt. Quid iuvat e nomine Germanico Italicum v. Gallicum fingere? Latinum sic utique non fit. Maluimus itaque nomen barbarum Latinis litteris exprimere, nec nisi terminationem illi appendere.

2. **Prandisti**; est etiam *deponens* in t. præterito, *pransus*. **Quanti,** quum in genitivo casu est, semper *pretium*, seu pecuniam, innuit, quasi dicas: *quanta pecunia*, *quanto pretio* prandisti? — quantam pecuniam solvisti pro prandio?

3. **Quanti constitit?** Verbum *constat* potissimum cum ablativo casu iungitur, sed *quanti* mavult genitivum, *vili* constat, caro pretio constat; sed etiam *pluris* constitit.

4. Non placet. *Asses* primitus valebant 16 et ultra libellas Americanas, postremo 7et amplius *millesimas* tantum. Ineptum est sic calculare. *Denarius* præstabit pro omnibus linguis et gentibus.

# COLLOQUIUM VII.

ARGUMENTUM: *Reprehensio amica plurimum iuvat, si bono animo accipiatur.*

**Coletus, Colonius.**

UNDE nunc redis?

*Co.* Foris.

*Ce.* Cur prodíeras.

*Co.* Ut irem domum.

*Ce.* Quid eò ?

*Co.* Petitum libros meos.

*Ce.* Eho, cur non eos attulisti?

*Co.* Oblitus eram.

*Ce.* Siccine soles ientáculum vel merendam oblivisci ?

*Co.* Raríssime.

*Ce.* Profecto magna fuit negligéntia.

*Co.* Imo máxima; sed quid agas? púeri sumus.

*Ce.* Quid si præceptor factum sciret?

*Co.* Fortasse pœnas darem.[1]

*Ce.* Ain' tu[2] *fortasse?* — sine dúbio vapulares. Non te pudet sine libris in scholam veníre ?

*Co.* Non solum pudet, sed piget étiam; verúmtamen ne me accuses, óbsecro.

*Ce.* Nihil minus cógito ; sed non possum dissimulare quin te reprehendam.

*Co.* Istud (credo équidem) amice facis, ítaque boni consulo.[3]

*Ce.* Id satis est mihi, eamus intro in auditórium.

*Co.* Tempus est; iam decuriones[4] exigunt scripturæ rationem.

1. **Pœnas darem,** est idioma, quasi dicamus: pro facinore pœnam rependo, solvo, exsolvo, resolvo, reddo, velut pecuniam, vel mulctam, quam iudex reo infligit.

2. **Ain' tu,** est contractum ex *aisne tu.*

3. **Boni consulo.** Verbum *consulo*,[3] *ui*, *tum*, partim accusativum, partim dativum petit: consulo pat*rem*, est: a patre consilium peto; consulo *tibi*, significat: caveo, nequid mali tibi accidat. Cum genitivo, ut hic, vix quinquies v. sexies in Auctoribus occurrit, quum sensus est: id *aliquid boni* existimo, considero, iudico.

4. **Decuriones,** Vocantur *proprie* sub-officiatores militares, quibus decem milites parent, obediunt. In scholis olim, imo et in iuventute nostra, pueri diligentiores hoc nomine vocabantur, qui studiis suis semper parati erant, et ideo in scamnis (sedibus) primos locos occuparunt, atque reliquis, in suis scamnis sedentibus, præerant, eosque ante introitum præceptoris examinarunt, et notas in schedis præceptori exhibendas consignarunt. Hos etiam *schedatores* soluimus appellare.

---

## COLLOQUIUM VIII.

ARGUMENTUM: *Puellulo eiusque sociis, ut in Coll. II., facultas ludendi conceditur, secundum mentem Marci Fabii Quintiliani, qui ludis puerorum delectabatur.*

**Puer, Pædagogus.**

PRÆCEPTOR, licetne pauca?[1]

*Pæ.* Licet.

*Pu.* Ego et condiscípuli mei hoc fere toto tríduo libris affixi[2] fúimus, licetne paulisper ánimum ludo relaxare?

*Pæ.* Dic ígitur áliquam senténtiam.

*Pu.* *Interpone tuis interdum gáudia curis,*
*Ut possis ánimo quemvis sufferre laborem.*

*Pæ.* Dic étiam versus vernáculos, si memória tenes.

*Pu.* (*Recitat vernacule.*[3])

*Pæ.* Quam recte[4] dixisti omnia!

*Pu.* Est[5] Deo gratia.

*Pæ.* Addendum posthac[6] erit áliquid.

*Pu.* Quidnam, præceptor?

*Pæ.* Qui dedit mihi ingénium & mentem bonam.

*Pu.* Sed quis docebit[7] me illa verba?

*Pæ.* Ea scribam tibi in commentaríolo[8] tuo ut ediscas. Sed dic mihi, quæso, quis te dócuit istam orationem quam pronuntiasti?

*Pu.* CAMPANUS[9] heri déderat mihi scriptam, ego autem memóriæ mandavi.

*Pæ.* Profecto, ego te amo, Dániel, ob istam diligéntiam.

*Pu.* Ago tibi grátias, præceptor. Permittisne ígitur ut ludamus?

*Pæ.* Sanè. Abi, & renúntia condiscípulis tuis.

*Pu.* Fáciam.

*Pæ.* Quid dices illis?

*Pu.* Id quod me aliquando docuisti.

*Pæ.* Sed volo prius ex te audire.

*Pu.* "Gaudete púeri, en áffero vobis iucundum núntium. Ego vobis ludendi potestatem impetravi."

*Pæ.* Euge, probe meministi, ito nunc iam!

1. **Pauca,** subaudi: **verba** *dicere?*

2. **Affixi,** non proprie, sed libris *occupati.*

3. **Vernacule.** Auctor habet "Gallice." Quum nos non solis Gallis velimus consulere, sed studiosis omnium gentium, malumus vocabulum "vernacule" substituere, quamvis adverbium hoc Romanis ignotum fuerit.

4. **Recte.** Linguis modernis hoc loco fere semper adverbio "bene" utimur; Latine satius est "recte" adhibere, præsertim quum *bene* dicere, *male* dicere, aliud quid sonet.

5. **Est,** sæpe dicimus *sit;* sed *est* gratia, est eodem modo dictum quo *habeo* tibi gratiam, gratias, grates.

6. **Posthac** est adverbium, vox per se, quasi *imposterum*, post hoc tempus, respondet ei *postea.*

7. **Docebit.** Vocabulum *doceo* duos accusativos postulat, nempe et eius *quem* docemus, et rei *quam* docemus.

8. **Commentariolus.** Libellos Romani sæpe hoc nomine vocarunt, præsertim libellos "notarum," in quibus opiniones, (com*menta* nostrà, seu mentem) solemus notare.

9. **Campanus,** est nomen proprium pueri, amici. — **Memoriæ mandare,** menti *committere*, *tradere*, dicimus, quum aliquid sic discimus, ut ipsa verba. clauso, v. absente libro, ex memoria recitare possimus.

# COLLOQUIUM IX.

ARGUMENTUM : *Duo pueri pensum diligenter repetunt, ut id præceptori recitare queant ; sic exercetur industria ætati propria, et sic discent et in provectiori ætate sua officia erga Deum et proximum adimplere.*

**Conradus, Daniel.**

REPETAMUS nómina quotidiana, ut eo cértius reddamus ea præceptori.

*D.* Bene[1] mones ; præito mihi cum hesternis.

*C.* Dic Latine (*hic C. enúmerat vocábula vernácule quæ sequentur* :)

*D.* Oculus dexter, óculus sinister, ambo óculi.

*C.* Probe tenes.

*D.* Nunc audi an recte solus dicam.

*C.* Age, áudio (*D enúmerat vocábula superiora*).

*C.* Debes enumerare in dígitis, ut docet præceptor.

*D.* Quid prodest istud ?

*C.* Ad memóriam iuvandam.

*D.* Quid hoc sibi vult.

*C.* Non audivisti tóties?

*D.* Ego sum obliviosus ; quid fáciam?

*C.* Esto diligéntior ad ea retinenda quæ percéperis.

*D.* Quod me fidéliter mones, pergratum facis.

*C.* Age, ad rem redi.

*D.* (*in digitis, vernácule, tum Latine*): Oculus, óculus sinister.

*C.* Quàm rectè ómnia dixisti !

*D.* Repetamus étiam hodierna.

*C.* Placet. At tu vicissim præito mihi.

*D.* *vernáculè recitat*, (*C. autem Latine respondet.*)

*C.* *Manus,* manus dextra, manus sinistra, ambæ manus.

*D.* Restat ut solus dicas. (*Hic C idem vernáculè et Latine recitat.*)

*D.* O si tam bene disceremus coram præceptore!

*C.* Quid obstat?

*D.* Nihil, nisi quod timeamus.

*C.* Et tamen errata nostra satis humániter[2] córrigit.

*D.* Néscio quid hoc sibi velit: ego semper sum tímidus in princípio.

*C.* Istud est quodámmodo naturale ómnibus, ut audívimus ex præceptore.

*D.* Nunc repetendum esset Latine & vernácule; sed præceptorem venientem vídeo.

*C.* Ingrediamur.

1. **Bene mones**; utrumque valet, et *bene* et *recte* (mones.)
2. Rectius dicimus **humane** quam humaniter.

---

## COLLOQUIUM X.

ARGUMENTUM: *Examinando varias orationis partes iudicium atque iudicandi facultas exercentur.*

**Andreas, Baltazar.**

*Andreas vernáculè interrogat:* Dic Latine &c., *quod B. Latine sic reddit:* Repetamus unà pensum.

*A.* Quot partes habet orátio hæc?

*B.* Tres.

*A.* Discerne síngulas nominatim.

*B.* *Repetamus,* est verbum; *unà,* advérbium; *pensum,* nomen.

*A.* Declara paulo plénius.

*B.* Tu ígitur præito mihi, ut solet præceptor.

*A.* *Repetamus.*

*B.* *Répeto, repétere, repetivi, repetitum;* est coniugationis tértiæ, sicut *lego, légere, legi, lectum.* *Repetivi* est tempus prætéritum perfectum; *repetitum* est supinum. Participia autem

sunt: témporis præsentis, *répetens;* prætériti, *repetitus, a, um;* futuri vero sunt duo, álterum vocis activæ, *repetiturus, a, um,* passivæ autem álterum, *repetendus, a, um.*

*A.* *Unà.*

*B.* Non declinatur, quia est advérbium hoc in loco; vernacule —

*A.* *Pensum.*

*B.* *Pensum, pensi,* géneris neutrius,* vernacule —

* Grammatici Romani *Flavius Sosipater Charisius, Diomedes*, imo omnes, semper "generis *neutri*" (quasi *neuter*, *neutri*) scripserunt, nos grammaticam sequimur.

---

## COLLOQUIUM XI.

morem /

ARGUMENTUM: *Idem argumentum ulterius texitur, ut pueri assuescant res accurate, non obiter, iudicandi.*

**Antonius, Bonifacius.**

EAMUS un repetitum.

*B.* Quid ego répetam? Num satis non est quòd solus repetíverim?

*A.* Si tantùm semel vel bis repetíeris id ad ediscendum parum erit.

*B.* Imo iam círciter décies repetivi.

*A.* Ne id quidem súfficit.

*B.* Quid igitur vis ámplius?

*A.* Si coram præceptore pensum certíssime reddere velis, opus est cum áliquo repetivisse.

*B.* Istud ego nesciebam; sed tibi líbenter asséntior.

*A* Faciamus ergo quod te monebam.

*B.* Equidem[1] non recuso, íncipe.

1. **Equidem**, est correptum ex *ego quidem.*

# COLLOQUIUM XII.

ARGUMENTUM: *Eiusdem tenoris atque Coll. IX. Exercitatio memoriæ est. Monitum veterum,* "Tantum scimus quantum memoria tenemus" *non refellitur doctrina novatorum* 'iudicium' *nonnisi* 'acuendum' *et colendum esse: nisi enim res memoria teneamus nihil habebimus quod* 'iudicemus.'

**Gentilis, Isaacus.**

TENESNE memória pensum ?

*I.* Propémodum.[1]

*G.* Visne repetamus unà.

*I.* Máxime velim.

*G.* Incipe ígitur.

*I.* Fáciam libenter, sed tu attentè audi, ut me córrigas si quid errávero.

*G.* Agedum.

*I.* *Fac sumptum próperè. . .*

*G.* Iam errasti ; incipiendum fuit ab hesterna.

*I.* Bene ádmones ; nunc incípiam :
*Iratus de re incerta conténdere noli.*
*Impedit ira. . .*

*G.* Peccas accentu ; ítera.

*I.* *Impedit ira ánimum ne. . .*

*G.* Distingue post *ánimum.*

*I.* *Impedit ira ánimum, ne possit cérnere verum.*
*Fac sumptum próperè, quum res desíderat ipsa.*
*Dandum étenim . . .*

*G.* Iterum peccas accentu ; répete.

*I.* *Dandum étenim est áliquod quum tempus póstulat aut res.*

*G.* Videsne te erravisse quater ?

*I.* Vídeo.

*G.* Etiamne observasti locos ?

*I.* Observavi.

*G.* Sic tibi facílius cavebis.

*I.* Me míserum ! putabam me recte tenere.[2]

*G.* Sic mihi quoque solet accídere, quóties memória non est bene confirmata.

*I.* Felix est qui memóriam bonam habet.

*G.* Magnum Dei benefícium. Sed tempus labitur nunc me audi.

*I.* Audio; pronúntia.

*G.* *Iratus, de re incerta conténdere noli.*

*I.* Hem, præceptor adest; tace, ut illum salutemus.

1. **Propemodum,** est *fere*, *pæne*, *prope*.

2. **Tenere,** hic *memória* tenere, non oblitum esse, significat, sæpe autem idem sonat atque *intelligo*, *capio*, *comprehendo*.

---

## COLLOQUIUM XIII.

ARGUMENTUM: Felix *Clementem negligentiæ arguit;* Clemens *culpam suam fatetur, seque emendaturum promittit, sic bonitas indolis in puero augeri potest.*

**Clemens, Felix.**

NIHILNE est quod hódie reddamus præceptori?

*F.* Nihil nisi de rudimentis grammáticæ.

*C.* Quidnam?

*F.* Inspice librum tuum, invenies notas in quinque pensa quæ præceptor præscripsit.

*C.* Quando istud fuit?

*F.* Die Véneris,[1] hora quarta.

*C.* At ego tunc non intérfui.

*F.* Ergo plagas meruisti.

*C.* Siccine iudicas, severe iudex? occupatus eram domi, nec abíeram iniussu præceptoris.

*F.* Esto, sed tamen debuisti postrídie quærere quid prídie factum esset.

*C.* Meam culpam confiteor, sed cedo[2] librum tuum, quæso, ut videam quid nobis reddendum sit.

*F.* Accipe, & eadem ópera[3] signato quæ à præceptore nobis præscripta sunt.

*C.* Fáciam diligenter, neque posthac, ut spero, me negligéntiæ accusabis.

1. **Dies Veneris.** D. MAGNUS AUSONIUS, poeta Chr., docet nos nomina dierum apud Romanos, saltem ævi sequioris. Hæc nomina sunt: Dies Solis (Christianis: *dies Domini*, v. *dies* Dominica), dies Lunæ, d. Martis, d. Mercurii, d. Iovis, d. Veneris, dies Saturni (Christianis: dies Sabbati, a Iudæis).

2. **Cedo**: semper hac forma, *da, porrige, præbe huc!*

3. **Eadem opera,** simul, eodem labore.

---

## COLLOQUIUM XIV.

ARGUMENTUM: *Puer, qui ludo aberat, socium de rebus in ludo, se absente, gestis percontatur.*

**Comes, Olivarius,**

QUID actum est in auditório hora tértia?

*O.* Partes orationis e penso erant tractatæ.

*C.* Nihilne ámplius?

*O.* Dixissem, nisi me interpellasses.

*C.* Erravi; perge.

*O.* Póstea dictavit præceptor argumentum *vernáculum* hódie vertendum.

*C.* Quando reddendum?

*O.* Cras merídie.

*C.* Iamne vertisti?

*O.* Utique, verti.

*C.* Dicta mihi, quæso, vernáculum.

*O.* Excipe; festina, nam hábeo scríbere áliquid.

## COLLOQUIUM XV.

ARGUMENTUM : *Pueri incipiunt pensa sua repetere, et in mutuam vicem, alter alteri recitare.*

**Sylvius, Genasius.**

QUID agis ?

*G.* Répeto mecum.

*S.* Quid répetis ?

*G.* Præscriptum hodiernum præceptoris.

*S.* Tenesne id memória ?

*G.* Sic opinor.

*S.* Repetamus unà ; sic uterque nostrum réctius pronuntiabit coram præceptore.

*G.* Tu ígitur íncipe, qui me provocasti.

*S.* Age, attentus esto, ne me aberrare sinas.

*G.* Sum prómptior ad audiendum, quàm tu ad pronuntiandum.

---

## COLLOQUIUM XVI.

ARGUMENTUM : *Idem ac superius. Exemplum, ut pueri alternatis vicibus pensa recitata audiant, seque vicissim corrigant, certe summo incitamento est accurate ad discendum.*

**Accoratus, Curtius.**

VISNE mecum repétere pensum ?

*C.* Volo.

*A.* Tenesne ?

*C.* Non satis rectè, fortasse.

*A.* Age, faciamus perículum[1].

*C.* Quid ígitur exspectamus ?

*A.* Ubi voles, íncipe.

*C.* Atqui pótius tuum est incípere.

*A.* Quid ita ?

*C.* Quia tu me invitasti.

*A.* Æquum dicis; attende ígitur.

*C.* Istic[2] sum.

1. **Periculum facere** idem sonat atque *tentamen*, *exemplum* instituere ad aliquid comperiendum, demonstrandum.

2. **Istic,** rectius **isthic,** idem atque *hic;* **istuc,** rectius **isthuc,** huc; **istinc,** hinc **istoc,** r. **isthoc,** hac, hac via.

---

## COLLOQUIUM XVII.

ARGUMENTUM: *Qui morem gerit, reprehendi non timet.*

*Is denique sapiens est, qui præcepta servat.*

*Puer quisque prudens sic se geret, ut nihil sibi timendum sit.*

**Crispus, Sandrotus.**

IAMNE tenes quæ reddenda sunt hora tértia?

*S.* Téneo.

*C.* Ego quoque.

*S.* Ergo confabulemur paulisper.

*C.* Sed si intervénerit observator[1], putabit nos garrire.

*S.* Quid times, ubi nihil timendum est? Si vénerit, non deprehendet nos in ótio, aut in re mala; áudiat, si velit, nostrum collóquium.

*C.* Optime lóqueris; secedamus áliquò[2], in ángulum quemdam, ne quis nos impédiat.

1. **Observator,** est puer, potissimum adultior, cuius officium esse solet videre ut ordo ac disciplina servetur.

2. **Aliquó,** adv., quod respondet quæstioni *quo?*

## COLLOQUIUM XVIII.

ARGUMENTUM : *Monitum breve, sed pueris perquam congruum.*

**Trimondus, Messor.**

NON decet hic otiari, aut garrire, dum præceptor exspectatur.

*M.* Quid ais, non decet? — imò verò non licet, nisi vapulare[1] velimus.

*T.* Tu ígitur audi me dum pensum récito ; deinde ego te áudiam.

*M.* Age, récita.

1. **Vapulare**, idem ac *luere*, *pœnam dare*, puniri, pœnam *accipere*.

---

## COLLOQUIUM XIX.

ARGUMENTUM : *Cœlo sereno puer mavult sub dio scribere.*

**E. F.**

CUR non scribis ?

*F.* Iam scripsi meam páginam ; tu verò ?

*E.* Eo scriptum in área.

*F.* Quid ita ?

*E.* Quia cœlum est serenum.

*F.* Festina, tempus fugit, et rátio[1] mox exigetur.

1. **Rationem exigere** ; præceptor "rationem exigit," quum examinat, interrogat, in actiones puerorum inquirit.

---

## COLLOQUIUM XX.

ARGUMENTUM : *Puer petit ab amico ut is sibi auxilio sit, qui se opem laturum pollicetur, ut sic officia amicitiæ doceantur.*

**Titus, Valerius.**

CUR non scribis ?

*V.* Quia non libet.

*T.* Atqui præceptor iusserat.

*V.* Scio ; sed est mihi aliquid ad legendum prius ; præterea, nihil hábeo quod nunc scribam.

*T.* O, si velles pro me scríbere.

*V.* Quidnam?

*T.* Hábeo describenda dictata præceptoris.

*V.* Quæ dictata ?

*T.* In Ciceronis epístolas.

*V.* Libenter pro te describam ; sed exspecta diem feriarum próximum.

*T.* Exspectabo ígitur ; sed ne me fallas, quæso.

*V.* Nec sciens, nec volens te fallam.

---

## COLLOQUIUM XXI.

ARGUMENTUM : *Hic exemplo ostenditur quemadmodum quædam modeste identidem recusari queant.*

**Damon, Audax.**

VISNE mihi descríbere pensum ?

*A.* Cur id non habes ?

*D.* Quia hesterno die fui occupatus.

*A.* Accipe librum meum et describe.

*D.* Non ignoras me léntius scríbere ; et tu cítius totum describes quàm ego quatuor vel quinque versículos.[1]

*A.* Quære tibi álium quemdam scriptorem ; nunc ego non possum tibi óperam dare.

*D.* Cur non ?

*A.* Est mihi áliud negótium, idque pernecessárium.

*D.* Nolo te urgere, nec possum quidem ; sed saltem cómmoda[2] mihi tuum códicem.

*A.* Accipe ; útere eo ut libet, modo ne abutaris.

*D.* Nihil est quod hic verearis.

1. **Versiculus** v. **versus**, non *carmen*, v. *stropha* hic intelligenda est, sed ordo vocabulorum scriptus, tam longus quantum charta patitur. Quum

ad oram, v. marginem chartæ pervenimus, *vertimus* ordinem, seu ordinem novum ab initio inchoamus, Sic in stropha solent quatuor *versus* esse.

2. **Commodamus** rem ad usum, pecuniam autem *in mutuum*, petimus, *mutuo* damus. Rem commodatam *ipsam* reddimus, pecuniæ autem *valorem* resolvimus, non nummos eosdem.

---

## COLLOQUIUM XXII.

ARGUMENTUM : *Exemplum diligentiæ statuitur hic, quæ ad omnem rem rite peragendam necessaria est.*

**Augustinus, Observator domesticus.**

Licètne mihi cúbitum ire, condiscípuli ?

*O.* Cur ante horam ?

*A.* Quia tértia est mihi surgendum.

*O.* Quamóbrem ?

*A.* Scribendi causa.

*O.* Quid habes scríbere ?

*A.* Lítteras ad patrem.

*O.* Cur non petis a præceptore véniam ?

*A.* Bene mones ; estne in suo stúdio ?

*O.* Putó esse; vise.[1]

1. **Víso,**[3] *visi, visum*, est frequentativum verbi *video;* differt a *visito*, quod *sæpe visum eo* significat.

---

## COLLOQUIUM XXIII.

ARGUMENTUM : *Exemplum pueri, alioquin rari, exhibetur, qui discere quam ludere mavult.*

**Pædagogus, Puer.**

UNDE venis ?

*Pu.* Vénio inferne.

*Pæ.* Quid negótii erat tibi infra ?

*Pu.* Vesícam levatum[1] íveram.

*Pæ.* Cónside nunc ad mensam, maneque in cubículo donec redívero.

*Pu.* Quid agam intérea ?

*Pæ.* Edisce pensum in diem crastinum, ut mihi id ante cœnam reddere queas.

*Pu.* Iam edídici, præceptor.

*Pæ.* Ludas ígitur licet.[2]

*Pu.* Sed nulli mihi sunt collusores.

*Pæ.* Sat multos repéries in hac vicínia, étiam ex tuis condiscípulis.

*Pu.* Nihil id curo; nunc malim, si tibi placet, pensum e Cathechismo edíscere in diem Solis.

*Pæ.* Ut libet.

*Pu.* Si quis te quærat, quid ei dicam?

*Pæ.* Dic me foras prodivisse, sed mox reversurum.

1. **Vesicam levare,** est idioma, significat receptaculum aquæ in corpore humano sublevare, ab onere liberare. Verba ordinaria sunt, *mingo,*[3] *xi, mictum* (et *minctum*), atque *meio*[3]— —; Romanis quidem sat communia, dubitamus tamen nos iis uti posse, quod vulgare quid sonant, quamquam vix obscœna. Phrasis auctoris nec Romana erat, et turpis; hanc ei substituimus.

2. **Licet.** Proprius sententiæ ordo hic est: *Licet igitur* (ut) *ludas;* sed *ut* non ineleganter omitti solet, atque sententia, ut hic, inverti.

---

## COLLOQUIUM XXIV.

ARGUMENTUM : *Honesta a laboribus relaxatio et merita recreatio animum ad ulteriora officia restaurat.*

**Pædagogus, Abrahamus.**

HEUS Abrahame !

*A.* Hem, præceptor.

*P.* Pone libros;[1] toto die iam satis studuisti, para te ut eamus ambulatum.

*A.* Anne præstaret post cœnam ?

*P.* Salúbrior est exercitátio córporis ante cœnam.

*A.* Mémini ex te audivisse.

*P.* Narra Sócratis dictum in eam senténtiam.

*A.* Quum Sócrates usque ad vésperum conténtius ambularet; interrogatus quare id fáceret, respondit se, quo mélius cœnaret, obsonare[2] famem ambulando.

*P.* Probè meministi ; quis auctor ?

*A.* *Marcus Túllius Cícero.* Sed quò prodíbimus, præceptor ?

*P.* Extra urbem.

*A.* Mutabone cálceos ?

*P.* Quin pótius muta, ne istos novos púlvere inféceris ; sume étiam umbellam, ne solis ardor fáciem tibi infuscet, et ob id mater te obiurget.

*A.* Iam paratus adsum.

*P.* Nunc demum prodeamus.

*A.* Visne vocem e vicínia unum vel álterum cómitem?

*P.* Recte mones ; sic enim iucúndior erit deambulátio ; nam per viam sermones inter vos conseretis, et in umbra alícubi colludetis.

*A.* Sic étiam excitábitur cibi appeténtia.

*P.* Ego lento gradu præcedam ; ubi nactus eris cómites, cum his me per portam Ripáriam sequámini.

*A.* Illicne nos ígitur præstolaberis ?

*P.* Certo.[3]

*A.* Quid si nullos repérero.

*P.* Nihilóminus séquere me; audistin'?

*A.* Audivi, præceptor.

1. **Pone libros**; est idioma, quasi dicat : *se*pone libros, vel, *mitte*, *omitte* libros.

2. **Obsono**[1], *vi*, *tum*, (proferimus ut *opsono*); plura significat, veluti *opsonia* (obsonia), res ad edendum, præsertim *legumina* (fabas, pisa, brassicam, betas, rapas, cucumeres) v. vero pisces emere ; in hoc tamen citato notissimo Tullii *acuere famem*, appetitum excitare, significat.

3. **Certo.** Latine hoc nunquam adhibetur, præterquam apud veteres comicos, ibi autem non per se, sed : "certo, hercle"—"certo, Poll," v. aliud idgenus, sensu iocoso ac comico, velut qui mendicum ab se stipem petentem, sic exciperet: "certo, hercle, te iam diu exspectabam, tibique cumulum pecuniæ paravi," per sarcasmum. Vera forma adverbii est *certe*, *certius*, *certissime;* sic in Classicis; attamen nec in scriptis horum eo sensu id leges, sed semper cum verbo ; *certe scio*, *certe faciam*. Gallis, et post eos Anglis, ille modus dicendi miro modo placet, est igitiur Gallicismus, studiosis Latinitatis puræ vitandus.

---

## COLLOQUIUM XXV.

ARGUMENTUM: *De emendo chartam. Præstinator alacrior auctarium accipit. Nemo est quin quod sibi utile sit quærat.*

**Hersentus, Glmardus.**

A QUO emisti istam chartam ?

*G.* A Fatino.

*H.* Estne bona ?

*G.* Mélior quam ista tua, ut opinor.

*H.* Nihil miror.

*G.* Cur hoc dicis ?

*H.* Quia, fortasse, est cárior.[1]

*G.* Néscio.

*H.* Quanti emisti scapum?[2]

*G.* Libella,[3] tu vero quanti?

*H.* Denário duodenos scapos.

*G.* Quanti ígitur?

*H.* Parum minus quam síngula libella scapum.

*G.* Non male, profecto emisti.[4]

*H.* Quinétiam auctárium[5] dedit mihi chartipola.[6]

*G.* Quodnam, quæso?

*H.* Schedam bibulæ.[7]

*G.* O me imprudentem, qui oblitus sum pétere !

*H,* Ego ne petivi quidem, sed ultro ipse dedit; "et hoc," inquit, "addo tibi, ut me revisas."

*G.* Sic solent emptores allícere.
*H.* Nec mirum; suum quisque cómmodum quærit.
*G.* Sed quid agemus, hodierni pensi ignari?
*H.* Exíguum est; satis témporis nobis restat.

1. **Carior.** Quidquid philologis Germanicis placeat, vocabulum hoc e græco *charis*, gratia, venustas, beneficium; *charisma*, donum, e grato animo datum, etc., derivatur. Itali et Galli sonum *ch* enuntiare quum non valeant, *c* substituunt; sic fit *carus, a, um*. In usum venit utramque formam adhibere, quarum una gratiam, *ch*aritatem, amorem, alia autem *pretium c*arum, *c*aritatem annonæ, significamus. Hoc discrimen servandum arbitramur, nec vana philologia, curiositatum pruritus, curam merentur.

2. **Scapus, i,** paginam chartæ convulutam significat, in quantum similitudinem refert *scapi*, v. stirpis, plantarum, v. cylindrum, vectem, perticam. Hodie tamen de charta accipitur duplici folio; singulum folium "filaram" audivimus appellari.

3. **Libella, æ,** est unitas monetæ minima; centum libellæ faciunt *centussem* (centum asses); potestque eapropter pecuniæ cuiuscunque gentis applicari, addendo adiectivum: Centussis Americanus, Gallicus, Germanicus, Italicus, & sic porro.

4. **Male emere,** caro pretio, care emere; **bene emere,** levi pretio, vili, emere.

5. **Auctarium,** est quod merci superadditur, velut augmentum, ne mensura fallat.

6. **Chartipola, æ.** est a nobis fictum, quo mercatorem chartarum significare volumus; "mercator" enim (auctoris) latum admodum sensum fundit.

7. **Scheda,** v. ut aliis placet, *schida*, iterum aliis *scida* (quod nobis displicet, *c* enim aspirari debet), est filara, pagina, pagella, minor; **bibula** autem est charta, quæ atramentum, v. quodcunque tinctorium *imbibit*.

---

## COLLOQUIUM XXVI.

ARGUMENTUM: *Præstat propriis quam alienis, præsertim mutuo acceptis, rebus uti. Ad negotia rite agenda iuvat rationes et petere et reddere.*

**Ancellus, Fontanus.**

MEMINISTIN' me tibi nuper chartam mútuo dedisse?
*F.* Quidni, memínerim? — non ádeo sum obliviosus.

*A.* Quot erant schedæ?
*F.* Quatuor.
*A.* Cur eas non reddidisti?
*F.* Exspectandum cénsui donec haberem códicem.
*A.* Habuístine tandem?
*F.* Tantum hódie.
*A.* Unde nactus es ?
*F.* Petivi a præceptore.
*A.* Ubi?
*F.* In bibliotheca eius.
*A.* Quid ille? — deditne libenter?
*F.* Misit me ad hypodidáscalum,[1] qui statim dedit códicem.
*A.* Non ante in suum códicem rétulit?
*F.* Nihil dare solet quin prius inscribat.
*A.* Audivi ex patre id esse viri prudentis.
*F.* Præsertim si reddenda est rátio.
*A.* Sed quibus indíciis eum ad dandum permovísti?
*F.* Ostendi illi in libello meo manu própria consignatum. Sic enim, ut scis, fácere solemus.
*A.* Reddas ergo mihi mútuum.
*F.* Post prándium statim ; nec dúbites.

1. **Hypodidascalus**, est vicarius præceptor.

---

## COLLOQUIUM XXVII.*

ARGUMENTUM : *Consuetudo exhibetur mercantium quorundam de pretio mercium cotionandi, ut quid lucriculi inde decerpant.*

**Francus, Marius.**

SUNTNE pennæ, quas círcumfers, venales?
*M.* Etiam, si emptor se obtúlerit.
*F.* Ostende! vah, quam sunt molles!

* Colloquia duo, quæ antea hoc loco fuerant, consilio Auctoris ad finem Libri II-di relata sunt.

*M.* Tales deciderunt ex alis ánserum[1] nostrorum ; sed tenta diligenter, sunt enim áliæ áliis firmiores.

*F.* Satis vídeo quales sint ; quot vis dare pro quadrante ?[2]

*M.* Tantum sex.

*F.* Quid ais, sex ?— mallem émere a propolis,[3] qui ex urbe nos hic interdum visitant.

*M.* Quasi nésciam quanti véneant. Audivi e fratre, qui hic loci scribam agit,[4] se in urbe síngulas libella emisse.

*F.* Aliter in urbe, áliter in pago vívitur, Sed tot verbis opus haud est : vis dare duódecim?

*M.* Hui, duódecim ! quasi ego furatus sim eas.

*F.* Istud non dico ; sed vide num tibi pláceat condítio.

*M.* Vis uno verbo dicam?

*F.* Dic, quæso ; iam satis garritum est.

*M.* Dabo tibi novem, modo promíscue e manu mea accípias.

*F.* Nugas agis ; ego sine delectu quíndecim nollem accípere. Vale, repériam satis álibi.

*M.* Per me licet. — Heus, heus, redi !

*F.* Quare revocas me?

*M.* Accipe, si vis, octo, nec plures a me exspecta.

*F.* Cedo totum fascículum, ut ad arbítrium meum séligam.

*M.* Tene, sélige ut voles.

*F.* Aspice nunc, atque, si libet, númera.

*M.* Sunt quátuor et viginti; númerus constat.[5] Sed miror te nullas cepisse ex ora extrema : eæ sunt firmiores.

*F.* Scio ; sed caule[6] breviores sunt. En prétium.

*M.* Deus utrique nostrum bene vertat.[7]

*F.* Tecum idem opto atque precor. Sed quando áfferes pennas meliores.

*M.* Néscio an possim meliores, sed, ut spero, brevi plures áfferam, quum ad nos, domum proficiscar.

*F.* Suntne vobis multi ánseres ?

*M.* Triginta et ámplius.

*F.* Hem, quantus grex ánserum!—ubi pascuntur ?

*M.* Scies álias; non licet mihi hic diútíus morari. Vale, France!

*F.* Cura ut váleas, Mari.[8]

1. **Anserum.** Anseres sunt animalia domestica, volucria, aquatica, maxima, quorum ex alis pennæ (plumæ maiores) deciduæ colligi solebant pluribus sæculis, ad nostra usque tempora, ut iis spicatis et cæsis, instrumenta scribendi fabricarentur. In vetustate res eædem ex arundine, seu culmo (calamo) fiebant, hinc vocamus instrumentum scriptorium, cunctis fere linguis *pennam* (plumam), vel *calamum;* hodie e metallis fiunt, potissimum e chalybe.

2. **Quadrans** est quarta pars *centussis*, cuiuscunque gentis.

3. **Propolas** vocamus mercatores minutilarios infimos, qui pagos ruraque merces suas in tergo circumportantes peragrant. Mercatores (ut iterum auctor habet) hodie circum errare non solent.

4. Munere scribæ fungitur, est scriba (hoc loco, in isto oppido, pago, urbe).

5. De numero pennarum non dubitatur.

6. **Caules, is,** est stirps leguminum, ut brassicæ, unde nomina *Caulium* Germanice et Anglice, hic tamen, ob similitudinem, pennam totam v. plumam denotat.

7. **Bene vertat!** etiam sine vocabulo *Deus*, idioma Latlnum, quasi dicat id quod modo actum est, Deus tibi in bonum, in salutem tibi, vertat.

8. **Mari, France,** sunt casus vocativi; Francus enim facit **e**, Marius autem **i.**

---

# COLLOQUIUM XXVIII.

ARGUMENTUM: *Res aliquando nec facile nec libenter commodantur, quum non rari sint qui res alienas incurie tractent.*

**Othoman, Philibert.**

VISNE mihi dare únicam pennam?

*P.* Non sic dantur mihi.

*O.* He, rem tantillam mihi negas! — quid si magnum quid rogarem?

*P.* Fortasse repulsam ferres.

*O.* Credo équidem ; age, non peto dono[1] saltem commodabis.

*P.* Non recuso, modo ne abutare.

*O.* Non abutar.

*P.* Cave hinc pedem móveas.

*O.* Nusquam movebo.

1. **Dono** dare, petere, est idem atque *in* donum.

---

## COLLOQUIUM XXIX.

ARGUMENTUM : *De veterum consuetudine pennas secandi et spicandi. Iuvat scire præterita.*

**Mercator, Bertrandus.**

ANNE pennam meam spicasti ?[1]

*B.* Iam dudum.

*M,* Ad cuiúsmodi scripturam ?

*B.* Ad mediocrem.

*M.* Maluissem ad litteras minutiores.

*B.* Debebas prædícere.

*M.* Oblitus eram.

*B.* Parum refert, spículam fácile mutabo ; i quæsitum.

*M.* Sed ubi reliquisti eam?

*B.* Super mensam hypocausti.[2]

*M.* In qua parte?

*B.* Ubi studere sóleo.

1. **Spico**[1] **vi, tum,** facere apicem, acumen, aciem. Auctor *acuere* scripsit, quod minus recte est ; acuimus enim id quod habet aciem, sed hebes est ; spicamus autem id, quod acumen non habet.

2. **Hypocaustum** est vaporarium, balneum, lavatorium, sed auctor diætam vel studium hic intelligi vult.

# COLLOQUIUM XXX.

ARGUMENTUM : *Exemplo hic docetur Christianos suum magistrum, Iesum Christum imitari oportere.*

**Pictonus, Iosua,**

HABESNE duas vel tres pennas.

*I.* Mihi tantum duæ sunt.

*P.* Da mihi unam commodato.

*I.* Non fáciam.

*P.* Cur non ?

*I.* Ne ea abutaris.

*P.* Memíneris, fortasse aliquando frustra me áliquid rogabis.

*I.* Atqui Christus malum bono compensare iubet.

*P.* Istud nondum dídici.

*I.* Discas tamen oportet, si discípulus Christi esse cupis.

*P.* Quid cúpio magis ?

*I.* Disce ígitur Magistrum imitari.

*P.* Discam progressu témporis.

*I.* Præstaret nunc incípere, dum per tempus licet.

*P.* Nimis urges ; necdum complevi annum octavum, ut ait mater.

*I.* Ad bene agendum, semper est tempus : cæterum, quæso, ne mihi succenseas.[1] Iocabar enim, ut te ad colloquendum invitarem tantisper dum sumus otiosi. En tibi pennam eamque non omníno pessimam.

*P.* Reddam tibi statim, quámprimum áliquid descrípsero.

*I.* Nolo mihi reddas.

*P.* Quid ígitur fáciam ?

*I.* Quidquid voles, a me enim tibi dono datur.

*P.* Grátiam tibi hábeo máximam.

1. **Succenseo**[2] **ui, sum,** aliquid ægre ferre, aliqua re offendi, in malam partem accipere.

# COLLOQUIUM XXXI.

ARGUMENTUM: *Agitur hic de præstinato cultello, deque eius bonitate. Consilium experti adhibendum esse suadetur.*

**Heinrichus, Valtherus.**

UNDE redis tam anhelus?

*V.* A foro.[1]

*H.* Quid illinc affers?

*V.* Scalpellum.[2]

*H.* Quanti emisti?

*V.* Quinário.[3]

*H.* Estne bonum?

*V.* Est e Germánia, ut mercator ásserit; vide notam.

*H.* Ego mínime novi; sed tu non satis prudenter facis, qui cuílibet mercatori fidis.

*V.* Ecquid fáciam?

*H.* Peritum áliquem debebas adhibere, qui tibi óptimum elígeret.

*V.* In hoc erravi, fáteor; sed hoc me solatur, quod ferramentárius[4] vir bonus ac probus habetur.

*H.* Quasi nulli eiúsmodi fallaces sint.

*V.* Plúrimos esse posse non negáverim; at mittamus hæc, quin pótius experiamur ipsum scalpellum.

*H.* Experiéntia tutíssime nos docebit.

*V.* Accipe sis, et tenta. Non enim tentavi nisi levíssime, idque inter emendum.

*H.* Hem, quis te dócuit tam prudenter elígere?

*V.* Rogas? Non meministi præceptorem dícere sólitum, Deum solum esse, qui quid vere bonum sit, hómines dóceat?

*H.* Ipse profecto óptime te dócuit.

*V.* Ago illi ex ánimo grátias, et precabor, ut me suæ voluntati semper parere dóceat.

*H.* Ego quoque idem precor, nec solum nobis, sed étiam piis ómnibus.

*V.* Facis ut pium decet púerum. Verum estne tempus ut in auditórium nos conferamus?

*H.* Sic est; age, sume libros, et eamus una.

1. **Forum, i,** quilibet locus in urbe publicus; celeberrimum fuit *Forum Romanum*; sensu latiori est locus mercaturæ, emporium, locus nundinarum, ubi merces prostant.

2. **Scalpellum,** v.-**us,** est instrumentum chirurgicum; sed *scalpellum* scribæ est ad eradendum menda, errores in scribendo; hic *cultellum* saccalem vult sonare.

3. **Quinarius** est moneta quinque libellarum.

4. **Ferramentarius** est is qui res ferreas sive parat, sive vendit.

---

## COLLOQUIUM XXXII.

ARGUMENTUM: *Monetur is, qui mutuo accipit, re sibi mutuata abuti non debere.*

**Michael, Renatus.**

HABESNE scalpellum?

*R.* Hábeo.

*M.* Oro te, cómmoda id mihi parumper.

*R.* Quando reddes?

*M.* Quámprimum duas pennas spicávero.

*R.* Accipe, sed ea lege ut id íntegrum reddas.

*M.* Ea conditione acceptum intélligo, etiamsi mónitum non adiecisses.

*R.* Intelligenti, ut vulgo dícitur, vel pauca sufficiunt.

# COLLOQUIUM XXXIII.

ARGUMENTUM: *Doctrinam Iesu Christi cum omni affectione prosequendam esse.*

**Sordetus, Manasses.**

EMISTINE scalpellum ut nuper volebas?

*M.* Non emi.

*S.* Quid óbstitit?—dicebas enim mihi te empturum hódie.

*M.* Díxeram quidem, sed mihi póstea in mentem venit præstare, ut núndinas,[1] quæ hic in óppido nostro mox asservandæ sint, exspectem.

*S.* Quid fácies lucri?

*M.* Et minoris emam, et melioris notæ, nempe producti fabricarum Germániæ.

*S.* Quis tibi hoc consílium dedit?

*M.* *Hierónymus* noster.

*S.* Bene fecit. Ignaris enim semper bonum consílium impertire iubemur.

*M.* Cunctis ignaris, an amicis tantum?

*S.* Non solum amicis, sed ipsis ádeo inimicis, quia sic iubet Christus, præceptor noster óptimus.

*M.* Utinam doctrinam eius memóriæ alte infixam conservemus, eamque perpétuo sequamur.

*S.* Facit ille Spiritus bonus, cuius unius instinctu ánimi nostri ad bene agendum accenduntur.

1. **Nundinæ, arum,** proprie *noni dies*, quovis enim die nono mercatus Romæ, stato loco, habebatur. *Nundinæ* igitur *mercatus* est stato tempore et loco, quo populus confluit.

# COLLOQUIUM XXXIV.

ARGUMENTUM : *Studiosum iis præsertim libris munitum esse decet, qui ad sua studia plurimum faciunt.*

C. L.

HABESNE multos libros?

*L.* Non ádmodum.

*G.* Tamen quos habes?

*L.* Rudimenta grammáticæ, Collóquia scholástica, *Públium Teréntium Afrum,*[1] Epistolas *Marci Túllii Ciceronis,* cum interpretatione vernácula, *Marcum Pórtium Catonem,*[2] Léxicum, Bíblia Novi Testamenti vernácula, item, Psalmos, atque Catechismum, prætérea étiam pugillária[3].

*G.* Tu vero quos habes?

*L.* Omnes hábeo quos enumerasti, præter *Marcum Pórtium Catonem, Publ. Teréntium Afrum,* atque epístolas *M. Túllii Ciceronis*. Cur enim hábeam libros quos in classe nostra non légimus.

*C.* At ego, quum ótio frúimur, hos légere sóleo, ut semper áliquid novi discam, præsertim Latine, et móribus honesti.

*L.* Prudenter facis, amice. O me míserum, qui nunquam didícerim quid esset studiosum esse.

*C.* Disce ígitur nunc. Præstat enim sero, quam nunquam, díscere.

1. Malumus integra auctorum nomina hic exscribere, quam morem minime commendandum sequi, quo iam pridem vulgo in usum venit, ea mutila et manca et scribere et enuntiare. Ut viro culto dignum non est homines honestos et venerabiles per *Iohannes*, *Charulos*, sine cognomine, nominare, sic et dedecet auctores perpetuo per "Sisero" (Italis *Tshitshero*, Germanis *Tzitzero*), "Horas," etc., memorare.

2. Philologi Germani omni conamine efficere volunt, ut totus mundus *Porcium Catonem* scribat, quia non defuerunt Romani, qui c atque t sæpis-

simme confuderint. Mox iam nullus in orbe erit liber qui ad hunc puerilem ludificumque modum ab iis corruptus non sit. Indigna ista ludificatio ubique repellenda est.

3. **Pugillar,** aris, n., **pugillares, ium,** (scil. libelli); **pugillaria, ium** sunt libelli manuales, ad manum, ad notas, ad commentaria faciendum. Hic libellum exercitiorum vult significare. Auctor longa periphrasi usus est, nos malumus *unum* vocabulum adhibere.

---

## COLLOQUIUM XXXV.

ARGUMENTUM : *Bonum consilium et tempestivum plurimum valet.*

**Simeon, Haggeus.**

COMMODA, *Virgílium*[1] tuum in duos dies, si id nullo incómmodo tuo fíeri possit.

*H.* Profecto non possum.

*S.* Cur non?

*H.* Quum *Gerardus* his diebus eum a me commodato accepisset, pígnori[2] oppósuit.

*S.* Ain' tu pígnori?

*H.* Sic est ut dico.

*S.* Quanti oppignoravit?[3]

*H.* Tribus, ut ait, denáriis.

*S.* O hóminem ingratum!

*H.* Tantumne ingratum?

*S.* Imo vero ingratum et sceleratum. At numquid ille rem tuam oppignorare pótuit, te inconsulto?

*H.* Pótuit sane, ut factum vides.

*S.* Non tamen débuit.

*H.* Rem acu tetigisti;[4] verum quid fáciam?

*S.* Rogas? Defer[5] eum ad præceptorem.

*H.* Malo istam pati iniúriam, quam committere ut miser vápulet.[6]

*S.* Bene státuis, dúmmodo tuum restítuat.

*H.* Restítuet, ut spero.

*S.* Unde,[7] óbsecro, restítuat?

*H.* Ait se brevi accepturum a patre pecúniam.

*S.* Quid si te fallit ?

*H.* Fíeri certe potest, áttamen áliquot dies exspectabo visurus quid futurum sit; tum deinde consílium cápiam.

*S.* Consílio recto nihil est tútius.

*H.* Meministi probe, sic a præceptore nobis dictum fuisse. Sed numquid vis áliud.

*S.* Ut bene tibi sit.

*H.* Et tibi óptime.

1. **Publius Virgilius Maro.** Philologi Germani iam toti orbi persuadere conantur *Vergilium* scribi oportere. Non est verum. Romani **i** et **e** passim commiscuerunt, et utramque obscurarunt, ita ut *Menervam*, *magestrum*, *here* etc. loco *Minervæ*, *magistri*, *heri* dixissent. In Græcis transcriptionibus item partim *Ouergilium*, partim *Birgilium*, legimus. Universa et unanimis omnium gentium traditio, perinde atque verbi etymon (e *vergo*, fiet verg*entius*, nunquam *vergi*, multo minus verg*il*—ius ; nec stellæ sunt *Vergiliæ*, ut disputant, sed Virgiliæ), Virgilium probat, nec nisi pruritus insoliti aliud suadet.

2. **Pignus, oris,** n., est res, cautionis et securitatis causa ei data, qui pecuniam mutuo dat.

3. **Oppignoro[1] vi, tum,** *pignoro*, et *pignero*, qui insolita quærunt et curiosa, posteriori forma utuntur.

4. Est phrasis, quæ vult dicere, *rem accuratissime indicasti.*

5. **Defero, deferre, detuli, delatum**, deducere ad iudicem, accusare, **indicere** iudici, curiæ, tribunali.

6. **Vapulo[1] vi, tum,** est **luere, pœnam dare,** sufferre pœnam, ut supra.

7. E quibus mediis, quomodo?

## COLLOQUIUM XXXVI.

ARGUMENTUM: *Cavendum est, ne favoribus nobis concessis, abutamur.*

**Gruanus, Forestus.**

VISNE mihi commodare tuum *Teréntium?*

*F.* Volo équidem, modo eum a *Conrado*, cui utendum déderam, répetas.

*G.* Quo indício[1] vis répetam?

*F.* Nempe hoc, quod epístolas eius hábeo.

*G.* Id mihi satis est.

*F.* Sed quando reddes?

*G.* Quum textum in tria vel quatuor pensa exscrípsero.

*F.* Matura[2] ígitur, ne stúdio meo incómmodes.

*G.* Maturabo.

*F.* Sed heus, tu cave eum mácules, alioquin posthac ægre tibi commodabo.

*G.* Nempe indignus essem benefício.

1. *Hoc est*, quid exhibeam *Conrado*, ex quo intelligat me tua auctoritate ac nomine Terentium petere?

2. **Maturo[1], vi, tum,** est idem ac *mature*, tempestive, ago; propero, festino.

---

## COLLOQUIUM XXXVII.

ARGUMENTUM: *Videndum, ne Deum ludendo vel iocando offendamus.*

**Augustinus, Rhodicus.**

QUIS[1] est novus iste liber deauratus?

*R.* *Públius Terentius Afer.*

*A.* Ubi impressus?[2]

*R.* Lutétiæ Parisiorum.[3]

*A.* Quis tibi dedit eum?

*R.* Emi eum pecúnia mea própria.

*A.* Unde nactus es pecúniam ?

*R.* Stulte istud quæris: quasi vero furatus sim.

*A.* Absit a me id cogitasse, sed ánimi[4] causa id rogabam.

*R.* Nec ego sério dictum tuum reprehendi, sed eo fere modo solemus cum familiáribus nostris iocari.

*A.* Nihil próhibet iocari, modo ne Deo offensa inferatur. — Sed age, ad propósitum revertamur: a quo emisti *Teréntium* istum ?

*R.* A Clemente.

*A.* Ab illone bibliopola circumforáneo?

*R.* Ab illo ipso.

*A.* Quanti cónstitit?

*R.* Uno centusse.

*A.* Nihilne ámplius ?

*R.* Nihil omnino.

*A.* Profecto, satis vile prétium.

*R.* Præsertim quum auratus, adeoque eleganter compactus sit.

*A.* Erantne códices alii, símiles?

*R.* Duo vel tres.

*A.* Deduc me, quæso, ad illum.

*R.* Libenter ; eamus.

1. **Quis**, secundum præcepta grammatica pronomen interrogandi *personarum* est ; non raro tamen etiam ad *res* refertur.

2. Est quasi terminus technicus hodie, de libris, qui prius *typis exscribuntur*, tum *prelo imprimuntur*, seu *premuntur*. Hic tamen satius erat quærere : Ubi erat *evulgatus*, *editus*, promulgatus?

3. Nomen Romanum urbis "Paris," putatur a *luto* sic vocatum, quasi dicat : Locus *lutulentus* gentis Parisiorum.

4. Ioci, hilaritatis, causa.

# COLLOQUIUM XXXVIII.

ARGUMENTUM: *Hic exemplum charitatis exhibetur.*

**Alardus, Baldus.**

ESTNE liber hic tuus?

*B.* Ostende mihi, meum agnosco. Ubi invenisti?

*A.* In auditório nostro.

*B.* Ago tibi gratias, quod eum collégeris.

*A.* Atqui nunc notandus esses,[1] si summo iure tecum ágere vellem.

*B.* Quid ita?

*A.* Nescis leges nostras scholasticas?

*B.* Ipsæ étiam leges iure regi volunt.

*A.* Quo iure reguntur leges nostræ?

*B.* Æquitate & præceptoris arbítrio, nempe qui eas nobis privatim condíderit; prætérea non solet tam severus esse in eo quod vel negligéntia vel oblivione peccatum est.

*A.* Sic sæpe expertus sum; sed quoquo modo peccáveris, dicenda erit causa coram observatore.

*B.* Non tímeo causam dícere, ubi nihil est perículi.

*A.* Táceo.

*B.* Sed quæso, quid opus est ut id sciat observator? Hic enim Deus nihil offensus est.

*A.* Esto, celabo.

*B.* Bene facies.

*A.* Sed heus, memento par pari referre,[2] si forte mihi accíderit áliquod delictum eiúsmodi.

*B.* Æquum[3] bonum dicis; memínero.

1. **Notandus,** accipitur in malum sensum. Notare aliquem *stigmate atro*, nota atra, velut malum, perniciosum, cunctis vitandum; hic tamen iocose dicitur.

2. **Par pari referre,** idioma Latinum: idem rependere, retribuere, quod tu mihi facis, idem et ego tibi facio.

3. **Æquum bonumque dicis**, in *P. Terentio Afro:* 'æqui bonique dicere' legitur, cum genitivo, item, '*facere*,' semper cum genitivo. Sensus est: id quod memoras, iustum ac dignum esse iudico. Hospites Romani cibum oblatum hac phrasi civili solebant recusare: *Æqui bonique facio;* sic alicubi legimus.

---

## COLLOQUIUM XXXIX.

ARGUMENTUM: *Mutuum repetitur; qui mutuum accepit moram petit, impetrat.*

**Calliatus, Germanus.**

CUR non reddis mihi librum?

*G.* Exspecta in crastinum diem; nondum satis usus sum.

*C.* Libenter exspectabo.

*G.* Réferam tibi grátiam, Deo volente.

*C.* Pro tantillo favore nullam exspecto grátiam.

*G.* Tamen meum est agnóscere.

---

## COLLOQUIUM XL.

ARGUMENTUM: *Quæritur liber incuria amissus. Is qui amisit, ob incuriam reprehenditur.*

**Noæus, Capellus.**

VIDISTINE librum meum?

*C.* Quem librum quæris?

*N.* *Epístolas M. T. Ciceronis.*

*C.* Ubi eum relíqueras?

*N.* Oblitus eram in Auditório.

*C.* Tua fuit neglige ntia.

*N.* Fáteor; sed intérea índica, si quem scias eum accepisse.

*C.* Cur non adis præceptorem? Solet enim ípse, ut scis, quæ a nobis relicta sunt, aut in promptuárium[1] deferre, aut vero alícui, qui nobis reddat, trádere.

*N.* Vera mémoras. O me obliviosum, cui istud in mentem non vénerat.

1. **Promptuarium** est locus, seu receptaculum, ubi res recondere, seponere, servare, solemus, ubi eædem sine mora reperiuntur, de*promique* atque in *promptu* haberi queunt.

---

## COLLOQUIUM XLI.

ARGUMENTUM : *Hic exemplum præbetur liberalitatis promptæ et paratæ.*

**Ezechiel, Beatus.**

VISNE apud me magnam grátiam inire?

*B.* Nihil libéntius fécerim, síquidem penes me res ipsa sit. Sed quid est in quo tibi commodare[1] possim ?

*E.* Da mihi mútuo denários quinque.

*B.* Tantum nunc non hábeo, sed maiorem partem.

*E.* Quantum, quæso?

*B.* Néscio, nisi crumenam inspéxero; en unum quadrantem, unum denárium atque duo quinária.[2]

*E.* Duo quinária tibi relinquam, non enim te totum prorsus vacuare volo.

*B.* Parum refert; si vis, totum áccipe.

*E.* Ago tibi grátias; tantum pecúniæ ad negótium meum satis fore puto cum aliquántula quam ipse hábeo.

*B.* Ut libet.

*E.* Amo te ob istam tam promptam tuam benignitatem.

*B.* Si áliud quid possim, ne retíceas, amabo.[3]

*E.* Reddam totum, Deo volente, quam primum pater mihi míserit.

*B.* Noli ádmodum sollícitus esse, nondum égeo.

1. **Commodare,** fere idem atque **se accommodare, sese alicui,** v. *rei alicui* accommodare, adaptare; ut verbum neutrum, *re aliqua*, v. **in** re aliqua alicui commodare, significat *officium* alicui præstare, servitium reddere, erga aliquem amœnum, humanum, esse.

2. **Quinarium, ii,** quinque libellæ.

3. **Fac, amabo; dic, amabo,** est interiectio, quasi: gratum mihi erit si hoc feceris, dixeris, &c.

---

## COLLOQUIUM XLII.

ARGUMENTUM: *David quinquaginta libellas mutuo petit, non tamen plus quam viginti et quinque impetrat.*

**David, Nicolaus.**

POTESNE mihi mútuo dare aliquantum pecúniæ?

*N.* Quanta eges?

*D.* Quinquaginta circiter libellis, si tibi cómmodum est.

*N.* Tot non hábeo.

*D.* Quot ígitur?

*N.* Tantum triginta & quinque.

*D.* Ohe, malum![1]—Cede ergo has trigínta et quinque.

*N.* Cedam quadrantem, si id váleat.

*D.* Eccur non totum?

*N.* Quia ipse denis égeo.

*D.* Esto; da ígitur quadrantem.

*N.* At ego véreor, ne quadrans tibi non suffíciat.

*D.* Petam ab álio áliquo.

*N.* Bene est; áccipe ergo quadrantem; en nummum. Quando mihi reddes?

*D.* Die Saturni, ut spero, quum pater ad núndinas vénerit.

*N.* Esto ígitur memor.

*D.* Nihil tímeas.

1. **Malum,** est nomen subst., quo exclamamus, quum quid ingrati et inamœni experimur, quasi: *O miseriam!*

## COLLOQUIUM XLIII.

ARGUMENTUM: *Est quidem pecunia* Custodi, *attamen* Paqueto *mutuum exiguum roganti se dare posse negat, nisi quid post res emptas supersit.*

**Paquetus, Custos**

DA mihi mútuo duos denários.

*C.* Nunc mihi non súppetit.

*P.* Quid obstat? Atqui scio te nuper pecúniam accepisse.

*C.* Accepisse non nego, verúmtamen, áliqui libelli, aliaque mihi emenda sunt necessária.

*P.* Nolo tuum cómmodum remorari.

*C.* Quum mihi necessária émero, libenter te partícipem fáciam si quid resíduum fúerit.

*P.* Intérea ígitur sperans exspectabo; sed quid si nihil tibi superfúerit?

*C.* Statim dicam tibi, ne frustra diútius exspectes.

*P.* Quando emes ea quæ decrevisti?

*C.* Cras, ut spero, aut summum[1] peréndie.

*P.* Bene habet,[2] tempus brevíssimum est.

1. **Summum,** *adv.*, **minimum,** *adv.*, hoc est: non plus, non longius; nihil minus, saltem. Dies, qui crastinum sequitur, est *perendie;* ergo: cras, vel *non serius* quam perendie.
2. **Bene habet,** est idem ac *res bene se habet,* res bene succedit.

---

## COLLOQUIUM XLIV.

ARGUMENTUM: *Exemplum astutiam et calliditatem ostendit quorundam verum consilium caute aperiendi.*

**Morulus, Bobussarius.**

ABIITNE pater tuus?

*B.* Abiit.

*M.* Quota hora?

*B.* Prima pomeridiana.[1]

*M.* Quid dixit tibi?
*B.* Multis verbis me mónuit ut diligenter studerem.
*M.* Utinam sic fácias.
*B.* Fáciam, Deo iuvante.
*M.* Ecquid pecúniæ dedit tibi?
*B.* Dedit ut fere[2] solet.
*M.* Quantum?
*B.* Nihil ad te.[3]
*M.* Fáteor; sed tamen, quid fácies ista pecúnia?
*B.* Emam chartam & ália quæ mihi sunt úsui.
*M.* Quid si eam amíseris?
*B.* Æquo ánimo ferendum erit.
*M.* Quid si forte egúero, dabisne mútuo?
*B.* Dabo, et quidem libenter.
*M.* Hábeo tibi grátiam.

1. **Pomeridies**-post meridiem, est Latinitatis sequioris, adhibetur in colloquendo, non in lingua litteraria. Adiectivum tamen **pomeridianus, a, um**, classicum est.

1. **Fere, ferme,** *adv.* non penitus, parum deest; "ut *fere* solet," vult dicere: ut pater *prope semper* facit, vel, tam frequenter facit, ut sibi quasi mos et consuetudo sit.

3. **Nihil ad te**; *h. e.*, ad te non spectat, non pertinet, tuum non est scire.

---

## COLLOQUIUM XLV.

ARGUMENTUM: *Facile offendi non decere, sed cavendum esse, ne Deum offenderemus,*

**Columbanus, Fontanus.**

SATISNE usus es scalpello meo?
*F.* Satis.
*C.* Redde ígitur.
*F.* Accipe, ago tibi grátias.
*C.* Nihil est propter quod agas.

*F.* Sed ignosce quod non ultro & cítius reddíderim.

*C.* Ea de re nihil sum offensus. Non enim debemus offendi, nisi quum Deum offendi videmus.

*F.* Recte sentis.

---

## COLLOQUIUM XLVI.

ARGUMENTUM : *Commodatur quidem cultellus, sed non libenter.*

**Bergerius, Nepos.**

COMMODA mihi parumper cultellum tuum.

*N.* Tu semper áliquid commodato petis; áccipe; quin tu tibi emas pótius.

*B.* Non hábeo pecúniam.

*N.* Cur non petis tibi?

*B.* Unde petam?

*N.* A patre, scílicet.

*B.* Impræsentiarum non est in hac urbe.

*N.* Ubi ígitur?

*B.* Péregre[1] profectus est.

*N.* Quo?

*B.* Romam.

*N.* Quo die?

*B.* Núdius tértius.[2]

*N.* Quando est reversurus?

*B.* Intra ternas septimanas[3], ut speramus, sic enim discedens dixit.

*N.* Bene vertat Deus.

1. **Peregre,** est ex *per* + *ager*, peragro, peregrinus; ut *adv.* "peregre" respondet quæstioni, "quo?"—**peregri** autem quæstionibus "ubi?" et "unde?"

2. Dies qui *hesternum* præcedit, est **núdius tértius.**

3. E codice Theodosiano videtur perinde atque e linguis Neo-Latinis, vocabulum hoc Romanum esse; idem sonat atque "hebdomada" Græcorum.

# COLLOQUIUM XLVII.

ARGUMENTUM: *Panis mutuo datus bilanci pensatur.*

**Columbarius, Simeo.**

RESTATNE tibi multum panis?[1]

*S.* Satis, grátia Deo.

*C.* Visne mihi dare mútuo?

*S.* Libenter.

*C.* Sed fortasse tibi tuus non suffíciet.

*S.* Imo,[2] ut spero.

*C.* Ad quod usque tempus ?

*S.* Ad diem Véneris.

*C.* Unde habebis póstea?

*S.* Domo.

*C.* Quis áfferet?

*S.* Egomet ibo petitum.

*C.* Quando ?

*S.* Ipso die Véneris.

*C.* Da mihi mútuo sesquilibram.

*S.* Ecquis nobis pensabit ?

*C.* Uxor præceptoris, aut ancilla.

*S.* Eamus petitum ex arca mea.

*C.* Quin tu ito solus, ego te in culina exspectabo.

1. **Mnltum panis**, *genitivus partitivus*, adiectivum *multum*, nominis vice fungitur, facitque ut nomen alterum, *panis*, gentivum regat.

2. **Imo,** *adv.* quin potius, plane ex adverso, quod est plus. Vocabulum hoc cordi philologorum Germanicorum delectamento summo est. At nos opinione ab iis differimus. Hi enim *errare* asserunt eos qui **imo** scribunt (ut nos), atque **immo** scribi oportere contendunt. Si quæres, *quare?* — respondent: quia *fortasse* . . . (vide *Freund* atque *Brambach*). Res sic se habet: ut ex *super* fit *superus*, *superior*, *supremus*, quod corripitur in *summus*, *a*. *um*, sic ex *infra* fit *inferus*, *a*, *um*, *inferior*, *infimus*, quod contrahitur in *imus*,*a*, *um*. Adverbia innumera fiunt hoc modo: cert*o*, rar*o*, seri*o*; aut vero, *magnopere*, *summopere* (h. e., magno opere, &c.); sic fit ex adiectivo *imus* im*o* (non *ime*), non autem *immo*, ut Germani philologi somniant, adv. su*mme* imitari cupientes.

# COLLOQUIUM XLVIII.

ARGUMENTUM : *Iacobus partem panis sui in merendam dat Ludovico, eumque edocet, quo aptissimo modo, ne vacuus in ludum veniat, domi panem et aliud quid procurare possit.*

**Iacobus, Ludovicus.**

ORO te, da mihi ex pane tuo.

*L.* Ipse non nímium hábeo, quod tamen hábeo, libenter tibi impértio; en frústulum.

*I.* Grátias ago tibi.

*L.* Non est quod agas, ob rem tántulam. Sed dic, quæso, cur tecum non attulisti ?

*I.* Quia nemo erat domi nostræ, qui mihi daret.

*L.* Eccur tu non ipse tibi súmpseras ?

*I.* Non áudeo id fácere, nisi det mater.

*L.* Recte sentis; sed audi consílium bonum.

*I.* Ausculto, ut áudiam ; dic quæso.

*L.* Quum prándio finito mensæ tolluntur, relíquias in merendam tibi pétito, easque in peram statim recóndito. Ita fiet ut nunquam inanis vénias.

*I.* De ientáculo vero, quid suades ?

*L.* Ut petas in éxitu cœnæ, & idem facias quod dixi tibi de merenda.

*I.* Nunquam audivi mélius consílium dari.

*L.* Fac ígitur ut memíneris, et quum volúeris, eo útere.

*I.* Ego vero, quóties res postuláverit, eo libenter utar.

## COLLOQUIUM XLIX.

ARGUMENTUM: *Abrahamus frustum panis petit a Bernhardo, accipitque affatim. Tum se excusat panem ideo secum non tulisse, quod mater domo abfuisset, nec quemquam dare voluisse, tam fuisse omnes occupatos. Abusu optimas quasque res in malum ruere; mala, vicissim, haud raro in bonum verti. Solum Deum bonum prædicandum, animo grato erga eum esse oportere.*

**Abrahamus, Bernhardus.**

DA mihi frustum panis.

*B.* Non habes?

*A.* Si haberem, non péterem.

*B.* Cur non attulisti?

*A.* Dicam póstea; sed da ínterim, quæso, nam esúrio vehementer.

*B.* Cape!

*A.* Hui, tantillum?

*B.* Etiam quéreris?

*A.* Non immérito; das parce nimis.

*B.* Vide quántulum restet; dedi fere dimídium.

*A.* Ago tibi grátias, dedisti abunde, sed iocabar.

*B.* Nunc responde: cur panem domo non attulisti?

*A.* Nemo erat qui daret.

*B.* Nemone?

*A.* Prorsus nemo.

*B.* Quid mater?

*A.* Aberat domo.

*B.* Quid cæteri?

*A.* Omnes erant occupati.

*B.* Cur tute non accipiebas?

*A.* Nunquam auderem tale quidpíam.

*B.* Cur non?

*A.* Mater perpétuo vetat, nequid attingam sine permissu eius.

*B.* Dura mater.

*A.* Tuo quidem iudício, qui indulgentiorem habes.

*B.* Non dico indulgentem, sed certe liberalem.

*A.* Quómodo te tractat?

*B.* Suavíssime, omninoque ex ánimi senténtia.

*A.* Fortasse in tuam perníciem.

*B.* Avertat Deus, O. M.[1]

*A.* Non équidem invídeo.

*B.* Cur ergo istud dicis?

*A.* Ut simul te móneam, licéntia omnes deteriores fíeri.

*B.* Bene facis. An vero non licet parentum bonitate uti?

*A.* Certe licet, modo ne abutaris.

*B.* Quómodo, óbsecro, abútimur?

*A.* Rogas? — quum, *v. c.*, aut patris, aut matris indulgéntiam in malum vértimus.

*B.* Recte doces; sed quotusquisque[2] id facit?

*A.* Imo fere omnes, nisi quia Dño[3] Deo prohibentur.

*B.* Quis potest bonus esse, nisi per Dei grátiam?

*A.* Ergo, ut sæpe monemur a præceptore, precandus est, ut Spíritu suo nos bonos & sanctos effíciat.

*B.* Gáudeo te ientáculum non attulisse.

*A.* Quamóbrem?

*B.* Quia hoc nostro collóquio mihi vídeor multum profecisse.

*A.* Ego quoque non parum.

*B.* Tua ópera id factum est.

*A.* Imo, beneficio Dei, qui quidem ita statúerat.

*B.* Credo équidem.

*A.* Et hic ígitur, & in cæteris, agnoscamus bonitatem eius.

*B.* Valde id æquum est.

*A.* Imo, valde necessárium, síquidem scelus ingrati ánimi effúgere vólumus. O sermonem iucundíssimum! Grátiæ Deo infinitæ, per Iesum Christum.

*B.* Ita velim.

1. **O. M.**, vel vero **Opt. Max.**, post nomen Iovis, sic: **Iupiter, Opt. Max.**, hoc est: *Optimus*, *Maximus;* Iupiter enim erat Rex ac Pater Deorum, adeoque et *Optimus* vocabatur et *Maximus*. Ex theologia Christianorum solœcismus esse videtur.

2. **Quotusquisque**, etiam seperatim, *quotus* enim *quisque*, significat: *quam pauci ii sunt qui . . .*, seu, vix decimus quisque, centesimus quisque, &c.

3. Latine scribendo, brevitatis causa fere cuncta vocabula abbreviantur, *sigla* imponendo, seu *siglis* scribendo. Sic, non scribimus integrum vocabulum *Dominus*, sed *Dñus; aalibꝫ* = animalibus; *hoibꝫ*, = hominibus; *spr* =semper; *ttm* = tantum; qq = quoque; &c=et cætera; *&cris* = et cæteris. Sed typographiæ modernæ siglis omnino carent, ideoque iis uti non possumus.

---

## COLLOQUIUM L.

ARGUMENTUM: *Omne studium a Deo successum sortiri. Sine Deo totum vanum esse.*

**Discipulus, Præceptor.**

PRÆCEPTOR, visne dare præmíolum?

*P.* Quam ob rem?

*D.* Ob victóriam reportatam.

*P.* Ubi sunt compares[1] tui?

*D.* Hic adsunt, *Hugo* et *Audax*.

*P.* Heus, Nomenclator,[2] suntne hi victores hac hebdómade?

*D.* Hi habent notas[3] ómnium paucíssimas.

*P.* Ergo ii sunt victores; quid áliud ex te quæram? Quid ígitur præmii pétitis?

*D.* Quod tibi vidébitur.

*P.* Quo tandem iure débeo?

*D.* Ex promisso.

*P.* Æquum dícitis. Quidquid enim rite promissum est, præstari debet.

*D.* Sic ex te didícimus.

*P.* Ecce vobis pennæ síngulæ ad scribendum. Neque eas vulgares esse putetis, sunt enim ex earum génere, quæ vulgo Batávicæ[4] appellantur.

*D.* Grátias ágimus, Præceptor.

*P.* Quin pótius ágite Deo ómnium bonorum auctori, qui stúdiis vestris successus prósperos largitur; vos vero in stúdio litterarum sédulo progrediámini.

*D.* Dábimus óperam, quantum Pater ille óptimus adiutório fúerit.

*P.* Sine eius ope vana sunt nostra ómnia.

1. **Compar, is,** = par, æqualis, socius, tui similis, collega, socius negotii.

2. **Nomenclator,** apud Romanos servus erat, qui nomina proclamabat sive in via, sive in ædibus, eorum, quos suus herus conveniebat. Sub Imperatoribus nomenclator nomina servorum proclamabat. In ludis puer adultior erat, qui diariis, cathedræ, silentio, &c., præerat.

3. Nomenclator quisque schedulam coram se servabat sic inscriptam: "Clamatores," atque aliam, "absentes." Is solebat nomina prælegere, seu "calare," cui studiosi respondebant "Adsum," v. "Hic sum." Si quis deerat, vicini sive sua sponte causam absentiæ retulerunt, sive a nomenclatore rogati. Magistro classem intrante, studiosis consurgentibus, breves preces recitabantur, tum ipse cathedram conscendit, e forulo mensæ diaria expromit, inscribit data, nomen disciplinæ, tempus, oculos ad nomenclatorem vertit, qui surgens, elata voce indicit nomina absentium, v. exclamat: "Nemo;" tum magister nomen proprium signat, denique disciplinam inspicit. Nomenclator tradit schedulam "Clamatorum," magister legit nomina, et pueros "notatos" protinus ad recitandum pensum provocat, nec eos suggerendo iuvat, sed exspectat donec hæreant. Si hoc fiat, severe in eos singillatim animadvertit; sin autem non hæsitando recitent, eos sine laude ac sine pœna considere iubet. Ergo, qui "notas paucissimas" habent sunt ii, qui inter "clamatores" ad Mgtrum nunquam vel raro deferebantur. Plurimas *notas* ii habent qui non modo inter *clamatores* referebantur, sed quum iam ibi essent, commoneri, imo *cruce*, vel binis-ternisve crucibus *notari* debebant. Hi erant omnium pessimi.

4. Quæ e *Batavia*, seu *Hollandia*, sunt.

# COLLOQUIUM LI.

ARGUMENTUM: *Probos æquo esse animo. Omnes homines mendaces dici.*

**Observator, Manuductor** *

UNDE venis, Manuductor?

*M.* Domo.

*O.* Quid adfers illinc?

*M.* Merendam.[1]

*O.* Quis tibi permíserat exire?

*M.* Præceptor ípse.

*O.* Qui[2] istud probabis?

*M.* Si dúbitas, adeamus eum ipsum, ut ab eo palam[3] compérias.

*O.* At vide quid agas!

*M.* Hac in re nihil tímeo.

*O.* Adeone securum te exístimas?

*M.* Qui verum dicit, cur tímeat, non habet.

*O.* Vera quidem est ista senténtia, sed quotusquisque[4] est qui non mentitur?

*M.* Certus sum me, saltem nunc, non mentiri.

*O.* Propémodum[5] persuades mihi. Abi, credo tibi, quia in mendácio te nunquam deprehendi.

*M.* Est Deo grátia, quem precor, ut me íntegrum ac purum custódiat.

*O.* Utinam ex ánimo sic omnes precarentur; récipe nunc te, ut merendam tuam cómedas.[6]

1. **Merenda, æ,** esus est, v. id quod editur extra tempus statum, præsertim inter prandium et cœnam.

2. **Qui,** *pron. interr.*, quomodo, quem in modum? — solet accentu circumflexo notari.

* Auctor *Capperonum* ponit, quod tamen Latinum non est, nec placet numerum nominum barbarorum ultra modum augeri.

3. **Palam,** aperte, non secreto.

4. **Quotusquisque,** *pron. interr.*, numeralium ordinalium, cui respondetur: primus, secundus, tertius, &c. quisque, seu, omnis tertius, sextus, vigesimus, &c. Vult dicere: quam pauci sunt, qui . . . ; in digitis poteris numerare eos qui . . .

5. **Propemodum,** fere, ferme, pæne, parum abest quin . . .

6. Edas totam, edas penitus quidquid habeas.

---

## COLLOQUIUM LII.

ARGUMENTUM: *Præmia non ex valore, sed ex honore, æstimanda esse.*

**Girardus, Eliel.**

QUI sunt victores hac hebdómade?

*E.* Ubi eras quum rationes reddebantur?

*G.* Accersitus a patre fúeram. Sed qui, inquam, sunt victores? Dic, sodes.[1]

*E.* Ego et *Puteanus.*

*G.* Iamne accepistis præmium?

*E.* Accépimus.

*G.* Quodnam? rogo.

*E.* Duodenas iuglandes.[2]

*G.* Hui! quale præmium!

*E.* Eho, inepte! An ergo præmium ex rei prétio æstimas?

*G.* Hic nihil áliud vídeo æstimandum.

*E.* Sórdidus[3] es, qui lucro sicínhias. Non meministi verbum?

*G.* Quod verbum?

*E.* Non lucri, sed honoris causa præmia dari.

*G.* Nunc reminiscor, quasi per nébulam. Posthac diligéntior ero.

*E.* Sic tandem sápies.

1. **Sodes,** proprie, est **si audes,** non tamen sic accipitur, sed eodem sensu ac *sis*, vel *amabo.*

2. **Iuglans, ndis,** est fructus arboris, quæ vocatur *iuglans*, seu *nux*, nux iuglandina; aliud genus est *nux avellana*, quæ arbor non est, sed arbustum, v. rubus.

3. **Sordidus, a, um,** est id quod immundum, impurum, illotum, *sordibus* inquinatum, commaculatum est; *moribus* sordidi ii dicuntur, qui lucrum, pecuniam, immoderate concupiscunt, ut mercatores, quos Tullius *sordidos* vocat.

---

## COLLOQUIUM LIII.

ARGUMENTUM: *Exemplum affertur pueri, qui libenter discit.*

**Salatinus, Burghartus.**

EUGE, dimissi sumus ad lusum, audistin'?

*B.* Quidni, audíerim, quum egomet adfúerim?

*G.* Placetne prius confabulari paulisper, ac deinde lúdere unà?

*B.* Ego quidem prius lúdere mallem.

*G.* Atqui diffícile est ludum abrumpere.

*B.* Plane verum dicis; experiéntia própria sic me docet.

*G.* Quóniam ígitur placet tibi mea rátio, da nobis áliquid argumenti ad confabulandum.

*B.* Imo tuum est dare, ut qui me lacessíveris.[1]

*G.* Æquum dicis. Redde mihi nómina Latine, quæ tibi *vernácule* proponam.

*B.* Qua de re propones?

*G.* De supelléctili.[2]

*B.* Tentabo respondere, modo ne plura quam decem proponas.

*G.* Enumerabo in dígitis, ne forte númerum excedam. Audi ígitur:

*B.* Isthic sum.

*G.* (*vernácule*) *B.* Abacus.[3]
" " " Sella.
" " " Candelabrum.
" " " Ahenum.[4]
" " " Follis.[5]
" " " Pulvinus.[6]

*G.* (*vernácule*) *B.* Cervical.[6]
" " " Línteum.[7]
" " " Olla.[8]
" " " Crater.[9]
*G.* Errasti semel.
*B.* Ubi ?
*G.* Dixisti *línteum* pro *lodice.*[10]
*B.* Fáteor, débeo tibi semel victóriam.
*G.* Nunc vicissim tu propone, ut rédimas, si potes.
*B.* Vis respondere de edúliis?[11]
*G.* Ut libet.
*B.* (*vernácule*) *G.* Caro recens.
" " " Suilla.[12]
" " " Ferina.[13]
" " " Aprugna.[14]
" " " Lac decoctum.
" " " Serum, vel serum lactis.[15]
" " " Caseus recens.
" " " Ius cárnium.[16]
" " " Piscis elixus.[17]
*B.* (*vernácule*) *G.* Embamma.
*B.* Fálleris.
*G.* Quid ergo est?
*B.* *Intinctus.*
*G.* Apud nos *embamma* semper audivi.
*B.* Etiam valet, sed Græcum est, conténdere tamen nolo.
*G.* Ecquis contendit? — consulamus.[18]
*B.* Quin prius ludamus; illud fiet postérius.
*G.* Age, fiat: ne ludendi occasionem amittamus.

1. **Lacesso,[3] vi, tum,** est e *lacio*, *lacto*, sed intensius, provoco, irrito, ut ad pugnam lacessere, provocare, convitiis, insultibus, lacessere, iratum facere, excitare.

2. **Supellex, lectilis,** f., apparatus, instructio domus, veluti mensæ, sellæ, lecti, res quæcunque atque instrumenta, quibus utimur.

3. **Abacus, i,** proprie, est mensa in oris tigillo septa, nequid de ea decidat; in genere tamen de quocunque suggestu, pegmate, &c. accipitur, ubi utensilia, vasa, asservantur.

4. **Ahenum, i,** est e substantivo **æs,** derivatum, ex quo duo adiectiva formantur: **æreus, a, um,** atque **æneus, a, um,** quæ antiquitus **aereum,** atque **aeneum,** tum **aheneum** efferebantur; hinc **ahenum** est *olla*, vel *cacabus* metallicus, super ignem impositus v. suspensus, ad coquendum cibos, ad aquam calefaciendam.

5. **Follis, is,** *m.*, est instrumentum e ligno et corio, ad ventum et flatum excitandum, quo ignem solemus urgere, aut pulveres difflare et dispellere.

6. **Pulvinus, i,** est pars lecti, fit e tela, velut saccus undique consutus, plumis, pilis equinis, suillis, vel alio tomento fartus, cui dormientes caput imponimus. **Cervical, is,** *n.*, contra, est pulvinus longior, sub pulvino, adeoque sub collo, *cervice*, dormientis.

7. **Linteum, i,** est tela, e *lino* texta, qua totus lectus insternitur, vel etiam mensa.

8. **Olla, æ,** est vas culinarium ad coquendum cibos.

9. **Crater, eris,** *m.*, erat vas veterum valde amplum, in quo vinum solebant cum aqua,v. alia re, miscere, ex quo dein *cyatho* hauriebant in *poculum* et *calicem*, ad bibendum; est igitur *urceus* vinarius, v. pro cervisia, e quo pocula accumbentium complentur.

10. **Lodix, icis,** f., est operculum crassius ad tegendum et fovendum corpus dormientis in lecto.

11. **Edulia, orum,** sunt omnia ea quæ edere solemus, cibi, escæ.

12. Est caro suum, ut caro *porcina* est a porcis, porcellis, qui sunt sues parvi, vel etiam vocatur **nefrendina,** nefrendes (*nefrens*, *dis*,) enim sunt porcelli; sus fœmina est **scropha, æ,** mas autem est **verres, is.**

13. Est caro *ferarum*.

14. Est caro *aprorum* ; aper est sus fera, sylvestris.

15. **Serum, i,** est aqua quæ e coagulo (e lacte coagulato) colato effluit; id autem, quod in colo (sacco, quo coagulum plerumque colari solet) remanet, est **caseus, ei.** Attamen est etiam vocabulum Latinum **formago, inis,** quod licet scripto traditum non esse videatur, Romanum fuisse vix dubium est. Interpres CORDERII Gallus (anno 1659) id adhuc *fourmage* vocat, sed moderni iam *fromage* dicunt. *Caseus* igitur est *formago* maturior, pressus, sapore iam acrior, *formago*, contra, est caseus recentissimus, ut e colo eximitur, adhuc friabilis et dulcis.

16. **Ius, iuris,** *n.*, raro dicimus, frequentius **iusculum,** est aqua, succo carnis satura, variisque condimentis confecta, qua prandiorum initia facimus.

17. **Elixus, a, um,** *p. p.* e verbo **elixo**[1], **vi, tum,** hoc autem ex alio, **lixo**[1], **vi, tum,** est sequioris Latinitatis, in classicis non offenditur; est idem ac *coquere.* Putandum non est *terminum technicum* esse, **piscis coctus** enim rectius esset. **Elixare** tamen media et infima Latinitate dicimus quasi *essentiam rei excoquere;* sic, quum cineres ligneos *elixamus*, aqua sic obtenta **lixivium** est, quo lotrices lintea nostra (subuculas, camisias, mucinia, linteamina, &c.) eluere et emundare solent.

18. **Consulo,**[3] **ui, Itum,** consilium petere; intensius est **consulto**[1], **vi, tatum,** ut verbum neutrum: *mecum* consulto, aut vero, ut hic, *consulo, consulimus,* (v. in Coni.) *consulamus*, h., e., capiamus consilium nobiscum, inter nos, v. (sinas ut mecum) consulam.

---

# COLLOQUIUM LIV.

ARGUMENTUM: *Opera Dei nos ad eum laudandum movere deberent.*

**Moyses, Olivetanus.**

IAM dudum[1] tædet me lusus scholásticos tóties repétere.

*O.* Quid ígitur fácies ?

*M.* Eamus in hortum nostrum.

*O.* Ecquid ibi agemus?

*M.* Ambulábimus, colloquemur, benefícia Dei in eius opéribus commemorábimus.

*O.* Nihil sane iucúundius; sed ínterim petenda esset a præceptore vénia.

*M.* Ego pro me iam impetravi, item pro uno quem mecum assúmere vellem.[2]

*O.* Bene res habet; eamus Deo comitante.

*M.* Precor ut ipse nos custódiat.

*O.* Ego quoque idem precor tecum.

1. Iam **dudum,** iam pridem, e longo tempore, iam diu, ex diuturno tempore.

2. Verba **Corderii** ipsius: "Iam impetravi mihi, & item uni quem vellem ducere."

# COLLOQUIUM LV.

ARGUMENTUM: *Hic duo pueri se ludendo pilis palmaribus præparant.*

**Sulpitius, Munchius.**

IMPETRASTIS ludendi facultatem ?

*M.* Impetrávimus.

*S.* Ad quod usque tempus?

*M.* Ad cœnam usque.

*S.* Qui dederunt versus?[1]

*M.* Primani & Secundani.[2]

*S.* Quid cæteræ classes ?

*M.* Primus quisque decúrio trium primarum clássium unam senténtiam e sacris Lítteris pronuntiavit.

*S.* Nonne precati estis, ut solemus?

*M.* Sumus, étquidem ludimagistro præsente; tu vero ubi eras ?

*S.* Domum íveram, matre accersitus.

*M.* Nunc vero quid ágere cógitas?

*S.* Lúdere sesqui horam,[3] deinde ad stúdia me recípere.

*M.* Vin'tu ut tibi sim collusor ?

*S.* Quidni velim?

*M.* Quo lusu nos exercébimus?

*S.* Nullus est mihi iucúndior pila palmária.[4]

*M.* Nec mihi quidem.

*S.* Visamus ígitur utrum cæteri partes sortiti[5] sint, nam si soli luderemus, minus esset voluptatis.

*M.* Visamus sane.

1. *Hoc est:* Qui recitarunt versus? Quos examinavit præceptor?

2. Qui ad classem infimam spectant, sunt *primani*, seu membra classis primæ; *secundani*, secundæ.

3. Horam unam cum dimidio.

4. **Pila** est res rotunda, potissimum e corio, *pilis* referta, quam pueri in altum proiiciunt, recidentem autem pueri alii, e regione, *palmis* excipiunt, mox ad priores reiiciunt. Pila exigua, saccharacea, **pilula** est, quod genus a medicis præscribi et ab ægrotis sumi solent.

5. Lusus potissimum fit inter duas partes; qui ad quas partes spectare debeant, *sorte* decernere solent, veluti monetam sursum iaciendo.

---

# COLLOQUIUM LVI.

ARGUMENTUM: *Hic puer ad animum recreandum invitatur; exercitio corporis valetudo roboratur.*

**Miconius, Raverius.**

VISNE mecum venire ?

*R.* Quo próperas ?

*M.* Ad lacum.

*R.* Quid eò ?

*M.* Lotum pedes.

*R.* I sane ipse ; ego lotione modo non indígeo.

*M.* Ast ínterim licebit paulisper fabulari.

*R.* Ne fabulari quidem modo sapit.

*M.* Atqui confabulari de rebus, honestis duntaxat, útile est.

*R.* At mihi ad valetúdinem exercitátio córporis utílior est.

*M.* Quid si mánsero?

*R.* Prudenter fácies, atque tum pila palmária colludemus.

*M.* Bene vertat Deus ; máneo.

*R.* Fáciam ut álias quondam tecum lotum ire possim, quum scilicet ótium abundántius súppetet.

*M.* Ad ludum ígitur nos accingamus.[1]

*R.* Nulla est in me mora.

1. **Accingo,**[3] **xi, ctum,** est e modo se vestiendi veterum sic dictum. Vestis enim longa *cingulo* corpori destinabatur, ne laborare volentem *impediret;* qui ergo *accinctus* est, est *paratus*, seu impeditus non est.

## COLLOQUIUM LVII.

ARGUMENTUM: *Lusus gratia negotii agendi missus est, quo exemplo diligentia commendatur.*

**Vincentius, Bonus.**

CUR non lusisti hódie nobiscum?

*B.* Non erat mihi ludendi ótium.

*V.* Quid habebas negótii?

*B.* Non absólveram pensum meum.

*V.* Quod pensum?

*B.* Dimídium exemplaris restabat mihi perscribendum.

*V.* Perfecístine?

*B.* Perfeci.

*V.* Laudo tuam diligéntiam; ludes álias otiose.

*B.* Quum volúerit Deus.

*V.* Recte dicis. Nam absque voluntate eius fíeri nihil boni potest.

---

## COLLOQUIUM LVIII.

ARGUMENTUM: *Pueri facultatem ludendi specialem a magistro petunt et impetrant.*

**Puer Primus, Præceptor, Puer Secundus et Tertius.**

SALVE præceptor.

*P.* Sit vobis salus a Christo.

*Pueri,* Amen.

*P.* Iamne repetivistis?

*Pri.* Etiam, præceptor.

*P.* Quis dócuit vos?

*Pri.* Subdoctor.

*P.* Quid vultis nunc?

*Se.* Ut per te líceat nobis parumper lúdere.

*P.* Non est ludendi tempus.
*T.* Non pétimus pro ómnibus, sed pro nobis párvulis tantum.
*P.* Atqui pluit, ut videtis.
*S.* Ludemus in pérgula.[1]
*P.* Quo lusu ?
*S.* Aculis[2] vel iuglandibus
*P.* Quid mihi dábitis?
*Pri.* Referemus vocábula.
*P.* Quot sínguli referetis?
*S.* Duo.
*P.* Valet; dícite ígitur.
*Pri.* (*vernácule*) Charta.[3]
" " Atramentum. Dixi.[4]
*S.* " Liber.
" " Libellus. Dixi.
*T.* " Cérasum.
" " Iuglandes. Díximus.
*P.* Quam belli estis homúnculi! Lúdite ad cœnam usque.
*Pu.* Grátias ágimus, præceptor.

1. **Pérgula, æ,** est potissimum domuncula in horto, ubi sub umbra arborum, vel tecti, residentes nos recreare solemus; locus quilibet tectus, refugium, etiam studium, seu locus ubi studemus.

2. Auctor "*aceculas*" dicit, sed perperam, Latinum enim non est. Putamus eum *aculam* dicere voluisse, quæ etiam vox dubia est, sed acceptabilis. Interpres "epingles" reddit Gallice, quod *acum* significat *nodatam*. **Acula, æ,** aptum vocabulum arbitramur quo acum eiusmodi capitatam significemus.—

Velint studiosi hic animadvertere: **Ludo,**[3] **si, sum,** tres casus regere, vidl., *ablativum* rei qua ludimus, ut: ludimus pila, calamo, disco; *accusativum* rei, velut, *aleam ludo*, aut rei, cuius similitudinem imitamur, ut: *ludimus bellum*; demum, præpositionem *in* cum *accus.*, uti: ludo *in* pecuniam; denique, *cum* pila ludere. — Quum ergo, ut auctor vult, dicimus: *aculis*, *vel iuglandibus* ludimus, aculæ v. iuglandes *instrumenta* sunt *quibus* ludimus: si *præmium*, vel *periculum* volumus indicare, dicemus: in pecuniam ludimus, omnes fortunas lusit.

3. Non desunt qui **cartam** scribant, sed in vanum, est enim Græcum. Aliqui critici elisionem aspirationis *h* singulari modo Latinitatem esse sibi persuadere volunt; nihil tamen a vero magis est alienum. Ætate enim classica Græcitas Romæ adeo invaluit ut, teste *Catullo*, "chommoda" pro "commoda" dicerent et scriberent. Nec Romæ, nec inter "Græculos" tantum hoc in usum venerat, sed in toto orbe Rño. Lingua Gallica rei huius testis est eloquentissima. Galli enim a Romanis didicerunt *chercher* loco *quæro*, aut *cero*; *chanter*, pro *canto*, *chose*, pro *causa*, *chair*, pro *car*ne, aliaque eiusmodi innumera, quibus addimus adhuc *chère*, pro *charo*, unde *Charles*, contra Germanorum *Carl*, quod Latinis *Charulum* valet. Si iam classici nostri tempora Cæsaris atque Tullii æmulari volunt, et hunc morem adoptare debebunt. — Chartæ autem sunt: *dentata*, quæ est lævis,seu lævigata, velut vitrum, *emporetica*, qua merces involvimus; *epistolaris*, ad litteras inscribendas; *puræ*, non tritæ & inquinatæ; *vacua*, cui nihil est inscriptum. Accipitur etiam sensu Anglorum, de scriptura, tractatu; item de lamella quavis metallica.

4. *Hoc est* , finivi, dicebam hactenus, sed iam sileo.

---

# COLLOQUIUM LIX.

ARGUMENTUM : *Bernardus cum Antonio de patre Bernardi, peregri agente, colloquitur. Quum in eo loco nundinarum pestilentiam sævire fama esset, reditum anxii exspectant. Deum suos ubique protegere confidendum est.*

**Antonius, Bernardus.**

UBI est nunc pater tuus?

*B.* Puto eum Lugduni[1] esse.

*A.* Quid illic agit ?

*B.* Negotiatur.

*A.* Ex quo témpore?

*B.* Ab ipso inítio nundinarum.

*A.* Valde miror qui áudeat illic tot dies commorari, quum pestiléntia tanta sit per totam urbem.

*B.* Non est ádeo mirandum.

*A.* Itane tibi videtur?

*B.* Ita, profecto. Fuit enim álias in maiori perículo, sed Dñus Deus eum semper custodivit.

*A.* Credo équidem, et in futuro eum custódiet. Sed quando est reversurus?

*B.* Néscio, in horas eum exspectamus.

*A.* Deus propítius eum reducat.

*B.* Et ego ita precor.

1. **Lugdunum, i,** est urbs in Gallia, vulgo **Lyon.**

---

## COLLOQUIUM LX.

ARGUMENTUM : *Puer, ludere quum posset, studiis vacare mavult. Exemplum rarum indolis puerilis. Quæque res habet suum tempus. Otio fruendum, quum res postulat.*

**Elisæus, Delphinus.**

QUA de re sic elatus es lætítia ?

*D.* Pater meus domum pervenit.

*E.* Ecquid hoc mea[1] refert?

*D.* Imo plúrimum, quia nobis véniam ludendi impetravit.

*E.* Ain' tu?

*D.* Vide púeros iam in área ludentes.

*E.* Ut ludant álii, per me licet, ego stúdiis vacare, quam lúdere, malim.[2]

*D.* Nec minus ego, sed suo témpore. Nam, (ut est in provérbio) *Omnia tempus habent.* Unde & nos recte monet *Cato*[3] noster :

*Interpone tuis interdum gáudia curis.*

*Ut possis ánimo quemvis sufferre laborem.*

*E.* Vera mémoras, fáteor; nihilóminus relinque me solum, ut stúdium meum sério aggrédiar.

*D.* Per me[4] stúdeas, licet, nihil te impédiam; at ego occasione data utar.

*E.* Bene státuis, útere.

1. **Refert**, atque **interest** hoc modo iunguntur: *mea*, *tua*, *sua*, *nostra*, *vestra*, patris, hominis, civitatis, patriæ, omnium, cunctorum (genitivo) maximi (genitivus rei), plurimi (aut etiam) nihil, **interest**, **refert**, sed etian *multum* interest, *plurimum* refert.

2. Hoc est: Ego vero studiis occupari malo quam ludere.

3. Nempe MARCUS PORTIUS CATO (ante Christum 149) cuius libri "De Re Rustica" sunt celeberrimi.

4. Seu: Ludas, ego non curo.

---

# COLLOQUIUM LXI.

ARGUMENTUM: *Pueri a ludendo revocantur.*

**Nomenclator, quidam puer e turba, item, alius.**

HEUS, púeri! Púeri, eho!

*Qui.* Quid clamas?

*N.* Sístite lusum!

*Q.* Ehem, inepte, quarta nondum elapsa est.[1]

*N.* Gerræ,[2] iam fere dimídium post quartam.

*A.* Eccur non pulsasti?[3]

*N.* Funis campánulæ ruptus est.

*A.* Clama ergo íterum, sed elátius.[4]

*N.* Eia, púeri, recípite vos omnes. Festinate, festinate, inquam, præceptor urget.

*Q.* Désine clamare, iam accurrunt omnes.

1. *Hoc est:* Hora quarta nondum est elapsa; nondum finita est.

2. Nugæ, loquela vana, verba inutilia.

3. **Pulsare** ianuam, organum, horologium, dicimus. Moderno tempore etiam **campanam**, pulsare, voce activa dicimus. *Campana*, vel **æs campanum**, illud *æs*, seu rem æream vocamus, quod in turribus pendet, cuius sono fideles in templa, vel fana, (vulgo *Ecclesias*) accersuntur. Nomen a *Campania* est, provincia Italiæ, ubi æs illud primum in usum venerat. Æs campanum *minus*, campanula, minimum autem *tintinnabulum*, quod *tinnit*, appellatur.

4. Voce magna, alta atque elata solemus dicere, sed *elatius*, quod **etiam** superbam et fastuosam vocem significat, nostra coniectura est.

# COLLOQUIUM LXII.

ARGUMENTUM : *Orontius, gaudet cum Quinto de adventu patris eius. Exemplo docetur quemadmodum ratio temporis habenda sit.*

**Orontius, Quintus.**

QUID ita lætus es?

*Q.* Quia pater domum pervenit.

*O.* Ain'tu? — unde venit?

*Q.* Lutétia.

*O.* Quando advenit?

*Q.* Modò.

*O.* Iamne eum salutasti?

*Q.* Salutavi ipso témporis momento quo e pilento[1] descénderat.

*O.* Quid ámplius ei fecisti?

*Q.* Iuvi quoque mánticam[2] eius atque umbellam[3] in domum inferre.

*O.* Miror te non domi mansisse propter eius adventum.

*Q.* Hoc nec ipse permisisset, nec ego libenter fecissem, nunc præsertim, quum præléctio audienda esset.

*O.* Bene profecto tibi cónsulis, qui témporis rationem habes.[4]— Sed quid pater? — valetne?

*Q.* Optime se habet, Dei benefício.

*O.* Equidem gáudeo plúrimum & tua, & eius causa quod péregri salvus et incólumis[5] redíverit.

*Q.* Facis ut amicum decet. Sed cras plúribus verbis colloquemur. En, vide præceptorem, iam ingréditur auditórium.

*O.* Eamus auditum prælectionem.

1. **Pilentum, i, n.,** est currus levissimus Romanorum, quo præsertim simulacra deorum ac dearum per vias deferri solebant. Nos in sensu moderno adhibemus ad denotandum *rhedas* conductitias, specie minores. Currus onerarios publicos et privatos, ad merces et onera expedienda **petórita** (**—um, i,**) vocabulo Rño appellamus.

Animadvertendum putamus hic nos sententiam CORDERII omnino mutasse, ratione nempe temporum. Ætate enim sua viatores equo vehebantur; ipse quoque de equo hic agit. At quum iam nemo nostrum equo insidens iter faciat, has easdem sententias hic repetere rationi temporum repugnaret. Maluimus igitur modum peregrinandi modernum memorare atque vocabula secundum id adaptare, quam temporibus nostris præteritos et oblivione deletos usus ac mores pingendo adversari.

2. **Mantica, æ,** Rñis prope idem ac nobis, genus *peræ*, sacci, designabat, cui viatores instructionem viaticam, uti vestes, cibos secum ferendos solebant immittere. Nostro sensu *mantica* est cistella vel pera e corio, v. e lamina chartacea rigida, sera ac clavi munita, in qua viatores res suas secum ferunt. Ea, contra, quæ baiuli in humeris vectare solent, **vidulos** appellamus.

3. **Umbella, æ,** est res ad arcendam pluviam, vel radios solares, in manu gesta. Angli *umbrellam* id vocant, sed errant, est enim ex **umbone** derivatum, non ex *umbra*.

4. Seu, qui prudenter discernis quid sit opportunam, quid quo tempore opportune fiat.

5. **Incólumis, e,** qui discrimen quoddam sine iniuria, sine læsione, *illæsus*, integer, evasit.

---

# COLLOQUIUM LXIII.

ARGUMENTUM: *Eum, qui dando liberalis est, in petendo verecundum esse non debere.*

**Marcus, Aaron.**

MISERET me tui.

*A.* Quid ita?

*M.* Quod penna tua tam mísere abutaris.

*A.* Quómodo abutor?

*M.* Quod spicando eam péssime tractes.

*A.* Non est culpa mea, cave[1] erres.

*M.* Cuia[2] ígitur?

*A.* Scalpelli mei, cuius ácies obtusa est.

*M.* Scalpellum in culpa non est, sed tu ipse.

*A.* Cur istud dicis?

*M.* Quia debuisti aut scalpellum tuum exacúere, aut áliud alicunde[3] ad præsens negótium, saltem commodato, rogare.

*A.* Non audeo pétere.

*M.* Quid vereris?

*A.* Ne mihi negetur.

*M.* En tibi meum.

*A.* Grátias ago.

*M.* Utere quantum voles, sed recte.

*A.* Sciens eo non abutar.

*M.* Nec sis posthac tam verecundus in petendo.

*A.* Sic ingénium meum;[4] sóleo libéntius dare quam pétere.

*M.* Utinam multi essent tui[5] símiles! Verúmtamen, qui benefícium libenter dat, is pétere quoque líbere potest. — At ego te nimis detíneo, pérfice quod cœperas.

1. **Cave erres,** cave tibi ne erres, vide ne errorem committas.

2. **Cuius,** *pron. & interr., & rel.* (qui, quæ, quod). Veteres Romani, ut e *Plauto* discimus, hoc pronomine ut adiectivo utebantur, affigendo ei terminationes generis, ut: *cuia vox est?*— vel etiam *quoia vox*, *quoiam vocem?*

3. E quodam loco.

4. Sic a natura sum constitutus.

5. E contentione philologorum, quorum auctoritas tamen potissimum manuscriptis non Romanorum sed plerumque monachorum nititur, satis clare erui potest adiectivum **similis, e,** *genitivum* regere *pronominum personalium*, de nominibus substantivis autem et adiectivis incassum disputatur. Tam *M. T. Cicero*, quam *Titus Livius*, quam item poetæ, *Qu. Horatius Flaccus*, *P. Ovidius Naso*, cæterique, partim genitivo, partim dativo utuntur; quum demum omnes auctores Rñi ætate Augusti et posteriores in dativo convenerunt. Frustra etiam contendunt iidem philologi *semper verisimile* scribi oportere. Dogmata idgenus toleranda non sunt; nam qui talia urgent, non veritatem quærunt sed studia ac placita propria tentant inculcare. Scriptores Augustani "simile veris," "simile vero" perpetuo docuerunt, quidquid philologis dogmaticis placeat.

## COLLOQUIUM LXIV.

ARGUMENTUM: *Puer quidam excusatur, quod domi struem lignorum congerendo scholam intermiserat.*

**A. B.**

CUR non venit *Petrus* in scholam?

*B.* Est occupatus[1].

*A.* In quo negótio?

*B.* Acervum lignorum struendo.

*A.* Qui scis?

*B.* Sic mihi dictum est.

*A.* A quo?

*B.* A patre eius.

*A.* Ubi eum vidisti?

*B.* Obviam factus est mihi quum exíveram.

*A.* Vide ne mentiaris; nam ex illo quæram, si mihi per vicos[2] forte occurrat.

*B.* Repéries[3] ut dico.

1. **Occupo[1], vi, tum,** verbum activum transitivum, sensu secundo in hunc modum accipitur. Sensus primus est *capere*, *apprehendere*, ut quum hostis *occupat* urbem; timor *occupat* corda. Est tamen classicum etiam isto sensu. Patitur præpositionem *in*, ut hic.

2. **Vicus, i,** proprie est ordo domuum; inter duos ordines domuum, seu inter duos vicos est *via;* improprie tamen et domos et viam **vicum** appellamus. Qui in eodem vico habitant, sunt **vicini,** cives plurium vicorum, **vicani.**

3. **Reperio[4] reperi, rtum,** fere idem atque *invenire*, *offendere*, *comperire*. Philologis quibusdam placet inter *invenire* atque *reperire* discrimen statuere, quasi *reperiamus* aliquid *quœrendo*, *inveniamus* autem *cusu*. Discrimen hoc tamen a nullo auctore videtur observari. *Prœt.* non est **repperi,** ut philologi volunt.

# COLLOQUIUM LXV.

ARGUMENTUM : *Curiosi quæstiones minutas proponunt haud inutiles. Quidquid agendum sit, ad id rite præparandum esse. Exemplum solertiæ patrisfamilias.*

**Sulpítius, Rogatus.**

HODIE mane cur abfuisti ?

*R.* Occupatus eram.

*S.* In quo negótio ?

*R.* In scribendis ad matrem lítteris.

*S.* Cur debebas ei scríbere ?

*R.* Quia ipsa ad me scrípserat.

*S.* Ergo tu ei rescripsisti.

*R.* Sic res se habet.

*S.* Unde tibi míserat lítteras ?

*R.* Rure[1], nempe e villa nostra.

*S.* Quando rus profecta est ?

*R.* Superióribus diebus.

*S.* Quid agit ruri ?

*R.* Curat nostra negótia rústica.

*S.* Quid potíssimum ?

*R.* Præparat ea quæ ad vindémiam[2] próximam necessária videntur.

*S.* Prudenter agit.

*R.* Unde istud probares ?

*S.* Scílicet ómnibus in rebus suscipiendis præparátio díligens adhibenda est.

*R.* Quis te istud dócuit ?

*S.* Quidam pædagogus mihi dictavit e *Marco Túllio Cicerone.*

*R.* Qua occasione ?

*S.* Quum me admonebat ut ad opus septimanæ prioris póstero die rite reddendum memet solerter præpararem.

*R.* Recte profecto monebat.

*S.* Sed ad propósitum revertamur[3]. Non habetis víllicum[4] qui negótia vestra ruri curet?

*R.* Imo et víllicum habemus, & fámulos & ancillas.

*S.* Quid ígitur opus est illic matris tuæ ópera?[5]

*R.* Quia rebus id genus ómnibus providere ipsa mélius novit quam imperiti isti rurícolæ.[6]

*S.* Nihilne ámplius?

*R.* Sine me finire meum propósitum.

*S.* Putabam te iam absolvisse; procede ígitur.

*R.* Etiam —ut e patre audivi— summa cura dómini requíritur in re familiari[7] administranda.

*S.* Adeoque patri potíssimum cordi esse[8] debet ut in villa ipse intersit.

*R.* At ipse interesse non potest.

*S.* Quid próhibet?

*R.* Unum obstat, nempe arti suæ totus est déditus.

*S.* Ex ea re, ut opinor, uberiorem fructum pércipit.

*R.* Quis dúbitet?

*S.* Inde ígitur fit ut omnem curam rei domésticæ uxori relinquat.

*R.* Sic plane res est.

*S.* Sed quando est mater reversura?

*R.* Vix ante vindémiam absolutam.

*S.* Quid tu? Non ibis étiam tu vindemiatum?

*R.* A matre, ut spero, brevi accersar. Sed, quæso te, quid nos hic garrimus? Iam omnes in auditórium currunt.

*S.* Sic decet; curramus et nos, ne últimi simus, vel fíeri velle videamur.

1. **Rus, ruris**, n., locus campestris, prædia, extra pagos et urbes. Grammatici tres quæstiones statuunt, uti: **Ubi?** cui respondemus *Locativo*, **ruri**; **unde?** *Ablativo*, **rure**; **quo?** *Accusativo*, **rus**. Attamen principia hæc ab Auctoribus Romanis non videntur accurate observari.

2. **Vindémia, æ,** quasi démere vinum, h. e., colligere uvas, est actus uvas colligendi, tempus autem quando hoc fit, **vindemiæ, arum,** appellatur.

3. Redeamus ad sententiam, unde discessimus.

4. **Villicus, i,** est homo, qui non adeo *villam*, quam potius prædium, seu *agros* circa villam, curat.

5. Quare ergo est matris *auxilium* (cura, industria) ibi necessaria?

6. **Ruricola, æ,** est is, qui ruri habitat, rus incolit, adeoque etiam rus colit.

7. **Res familiares** sunt bona, quæ familia possidet.

8. **Cordi est** id, quod nobis charissimum est, quodque salvum esse e toto **corde** optamus.

---

## COLLOQUIUM LXVI.

ARGUMENTUM : *Pueros studiosos decet se in mutuam vicem de officiis admonere et exhortari.*

**Ripárius, Amádeus.**

AUDIVISTINE horológium ?

*A.* Iam dudum sónuit.

*R.* Numerástine horas ?

*A.* Numeravi, sane.

*R.* Quota est ?

*A.* Fere sesquiprima.

*R.* Itaque prælectionis tempus instat ; fac ut sis paratus.

*A.* Simul ac[1] merendam finívero ; ecce me paratum.

*R.* Cur non adfuisti nobiscum merídie ?

*A.* Prodíveram foras, cum vénia præceptoris.

*R.* Tum tibi impedimento sum.

*A.* Nihil me ímpedis ; nec tantillum[2] tua interpellatione amisi.

*R.* Bene est ; non ultra te morabor, procede, sed matura.

1. **Simul ac** (si autem *vocalis* sequitur, *simul* **atque**), est fere **quamprimum.**

2. **Tantillum,** *tantulum*, tantum, tam parum, strepitu digitorum ostenditur, exhibetur ; aliis verbis : interruptione, v. interlocutione tua nullam iacturam, damnum, mihi intulisti.

## COLLOQUIUM LXVII.

ARGUMENTUM : *Exemplum hic exhibetur diligentiæ in disciplinis puerilibus.*

**Ligárius, Sarrasinus,**

FECISTINE offícium tuum ?

*S.* Qua in re ?

*L.* In repetendo penso.

*S.* Nihil adhuc repetivi.

*L.* Quis in causa fuit ?

*S.* Exspectabam dum compar meus rediret.

*L.* Quo ivit ille ?

*S.* Domum.

*L.* Quid eò ?

*S.* Petitum merendam.

*L.* Quid si eum sero redire contingat ?

*S.* Néscio, fíeri póterit.

*L.* Vis intérea mecum repétere?

*S.* Equidem non recuso.

*L.* Sécedamus ígitur, ne quis nobis molestus sit.

*S.* Bene profecto mones ; in tanto enim ambulatorum strépitu et clamore nemo fácile discet.

*L.* Aspice illic locum remotíssimum, ibi nulli sunt ambulantes.

*S.* Eamus illuc.

# COLLOQUIUM LXVIII.

ARGUMENTUM : *Statim post sumptum cibum studiis incumbendum non esse. Pensa legendo et relegendo satis facile memoriæ mandari.*

**D. E.**

QUO próperas ?

*E.* Eo cœnatum ; quid tu ?

*D.* Ego iam cœnavi.

*E.* Quota hora ?

*D.* Quinta, ut fere solemus.

*E.* Quid nunc ages ?

*D.* Répetam áliquid eorum, quæ crastino die réddere habemus.

*E.* Ego a pædagogo[1] meo dídici statim post cibos stúdia capessenda non esse.

*D.* Istud ego quoque dídici, at mihi tamen usque discendum est.[2]

*E.* Quid ígitur fácies ?

*D.* Quasi ánimi causa pensum aliquóties particulatim[3] legam et rélegam.

*E.* Quid tum ?

*D.* Ita paulatim fiet ut sine cura, sine tædio, sine moléstia, bonam pensi partem ediscam.

*E.* Ista non satis intelligio ;[4] tu mihi certe supra ætatem sápere videris.

*D.* Non est res ádeo diffícilis ut te eam non edocere possem, si modo ad cœnandum non properares.

*E.* De cœna opportune ádmones ; ego ígitur eius causa me domum recípiam. Vale.

*D.* Deus te ducat et reducat.

1. **Pædagogus, i,** apud Romanos servus erat emptitius vel captivus (mancipium), qui pueros in ludum deducere solebat, domi autem eorum

curam habere. Latiori sensu omnes præceptores et ludimagistri hoc nomine significabantur. Modernis temporibus præceptores domesticl ac familiares sic vocantur.


2. Gramaticis non clare constat quorsum hæc verbi forma spectet. Nos eam *Nominativum Gerundii* esse statuimus. Sin hoc fiat, Gerundium Nominativo carebit. Theoriam nostram exemplo sic iilustramus:

Sit exemplo verbum **laborare.** Gerundium igitur sic se habebit :

*Casus Nominativus*, **Laborandum** est.
" *Gen.*, amor **laborandi**
" *Dat.*, manus **laborando** idonea.
" *Acc.* manus ad **laborandum** parata.
" *Abl.* manus **laborando** fessa.
Numero Plurali caret.

3. **Particulatim,** *adv.*, in Auctoribus classicis non legitur, sed est Romanum. *Auct. ad Herennium* (Cornificus, ut Quintil. docet) valde apte sic scribit: "si summatim, non **particulatim** narrabimus." *Lucius* autem *Iunius Moderatus Columella* (50 P. Ch.), scriptor *De Re Rustica*, sic dicit: "Grex **particulatim** facilius quam universus convalescit." Ut vocabulum utilissmum in usum adhibendum est.

4. Nugatores philologici dogma statuerunt verbum hoc *intellego* scribi oportere, quia ex *inter* + *lego* derivatur. Non negamus. Sed si hoc valet, etiam *dilego selego*, *collego* (quod tamen ipsi *conligo*, et *conlegium* esse volunt, utique pruritu aliquid curiosi dicendi), item *obfacium*, &c., (pro *officio*) dicendum erit. Hæc absurda et eapropter spernenda sunt.



# PROLOQUIUM

**ad Colloquia Septem quæ sequuntur.**

NE púeri nihil agendo male ágere discant, otioso præsertim sermone, pravisque aut ineptis collóquiis sese in vicem corrumpentes, ómnibus modis incitandi sunt ut in schola, dum ingressum præceptoris exspectant, assuescant intérea bini-ternive id, quod ab eo præscriptum fúerit, simul repétere. Plúrimum próderit illis hæc exercitátio iucunda, eosque ínterim ab ótio, lascívia, multisque áliis rebus malis, quibus Deus offénditur, avértere póterit. Sed quia sine puerili collóquio eiúsmodi repetitiones tractari non solent, púeri autem ipsi, nisi instituti fúerint, haud áliter quam bárbare loquentur, placet hic áliquot breves colloquendi fórmulas eam ob rem propónere, ut pedetentim *inter se Latine cólloqui* discant.

Cæterum in præceptoris diligéntia situm erit, ut hæc ipsa collóquia discípulis aliquóties interpretetur, eosque dóceat quómodo in eis et áliis eius géneris (quæ trádere ipse póterit) sese et domi et in schola exercere débeant, et ad id illos idéntidem cohortetur. Ita fiet, progressu témporis, ut præceptor eos ad mature reddenda ea quæ ipsis præscripserit promtiores semper et alacriores habiturus sit; hinc étiam consequetur, ut minore cum labore ac moléstia docendi munus sequatur.



# COLLOQUIUM LXIX.

ARGUMENTUM: COLLOQUII LXIX., ATQUE SEX SEQUENTIUM HUIUS LIBRI PRIMI.

*Pueri inter se vicissim repetunt exempla et formulas vocabula a præceptore præstituta declinandi, eo fine, ut dum eum ingressurum præstolentur, otio tempus ne terant.*

**A. B.**

VISNE repetamus unà ?

*B.* Quidnam ?

*A.* Id quod nobis præscriptum est.

*B.* Volo équidem ; sed quonam génere repetendi utemur ?

*A.* Audiamus nos vicissim.

*B.* Sic præceptor nos sæpe monet.

*A.* Ipse rectè quidem monet, sed nos malè paremus.[1]

*B.* Uter nostrum incípiet ?

*A.* Ego, si tibi ita placet.

*B.* Maxime placet ; íncipe ígitur.

*A.* Sequéntia *nómina substantiva* hic próferam, quibus cuncti casus DECLINATIONIS SECUNDÆ illustrantur :

*Lánius, Antónius, dóminus, magister, puer, regnum.*

*B.* Quæ sunt hódie declinanda ?

*A.* Primo quidem exemplum hesternum, nempe : *lánius*, tum hodiernum, *Antónius.*

*B.* Cur nos id quotídie repétimus, quod iam prídie reddídimus?

*A.* Quia sic præceptor iussit ?

*B.* Id satis scio ; sed cur sic iussit ?

*A.* Ad memóriam confirmandam.

*B.* Age, declina *lánium.*

*A.* Sic ergo procedam :

*In Nro. Singulari.*

*Casus Nominandi,* v. *Nominativus,*[2] **lánius**
*Casus Pátrius,* v. *Genitivus,* **lánij**[3]
*Casus Dandi,* v. *Dativus,* **lánio**
*Casus Accusandi,* v. *Accusativus,* **lánium**
*Casus Vocandi,* v. *Vocativus,* **lánie**
*Casus Auferendi,* v. *Ablativus,* (a) **lánio**

*In Numero Plurali.*

Cas. Nom. **lánii**
" Gen. **laniorum**
" Dat. **lániis**
" Acc. **lánios**
" Voc. **lánii**
" Abl. (a, de) **lániis**

*B.* Verte idem in *vernáculum.*

*A.* **Lánius, lánii,** *géneris masculini,* — — —[4]

*B.* Declina nunc *Antónium.*

*A.* (*declinat eodem modo quo* lánium, *dempto vocativo, qui est Antoni*; *nec in numero plurali declinari solet, nomen enim est próprium*). **Antónius** est nomen viri, *vernácule* — — —

*B.* Cur dicis *nomen viri?* — atqui tu nondum es vir, tamen *Antónius* vocaris.

*A.* Verum est ; sed sunt álii *Antónii,* qui viri sunt.

*B.* Faxit[5] Deus ut et tu olim vir evadas.

*A.* Utinam Deus sic velit.

*B.* Attende nunc ut tu me vicissim áudias.

*A.* Istic sum ; dic audacter.

*B.* Nómina DECLINATIONIS SECUNDÆ . . .

*A.* Désine, adest præceptor.

*B.* Aúdio eum tussientem;[6] cessemus, ne nos garrire putet.

1. **Pareo,**[2] **ui, itum,** in conspectum venire. Verbum potissimum compositum adhibetur, ut *com*pareo, *ap*pareo, *dis*pareo, sensu primo ; sensu secundo, ut hic, est idem atque *obedio*, *obtempero*, *obsequor*.

2. **Nominativus, a, um,** Casus nominandi, nominativus, **Casus Rectus,** his nominibus soluerunt veteres grammatici *casum* hunc primum appellare. *Casus* secundus vocabatur **patrius,** quia *pater* gignit (mater *parit*, prolis *nascitur*), sed aliis casus *generandi*, seu *gignendi* placuit, sic demum casum *genitivum* nominare assueverunt. Grammatici linguarum barbararum has appellationes velut nomina stereotypa atque cadavera rigida, sine sensu, in linguas suas adoptarunt, quæ studiosis perquam exosa sunt, quia sensum non intelligunt. Nec est Casus Gentivus *possessivus*, ut quidam barbari volunt, sed potius *originis*, *fontis*, *exordii*.

3. **Lanius, ii,** vel **lanio, onis,** est homo, qui boves, oves, sues, in **macello** (**-um, i**) cædit, eorumque **térgora** (**-us, oris,** cadavera) in cibum vendit. — Exempli instar terminationem Genitivi hic ad hunc morem veterum exprimendum iussimus, ut studiosi intelligerent litteram y ex **i** atque **j** conflatam esse, atque sonum Græci *υ*, Gallorum **u** et Germanorum **ü** referre, item hinc fieri quare senes nostris adhuc temporibus litteram y duobus punctis super impositis signent. Monere porro volumus philologos eo demum devenisse ut verosimile prædicarent Marcum Tullium Ciceronem Genitivum cum geminato **i** (**i i**) *fortasse* nunquam audivisse aut vidisse. Origo petulantiæ huius puerilis ex eo more veterum manat, quod poetæ veteres geminatum i causa metri in unum corripere soliti sint, *sono* tamen *duplicis longitudinis*. Gratia porro parcimoniæ scribendo eundem morem secuti sunt, ita ut *unum* quidem **I** ponerent, *duplici* tamen altitudine sic: "Carmina HoratI," "Opera Marci TullI Ciceronis," "DI," "NIL" (loco NIIL, seu NIHIL).

4. **"Cuius géneris est . . . ?"**— interrogamus, respondemus autem: "Est géneris masculini, fœminini, neutrius." Grammatici tamen Romani plerumque "**neutri**" scribunt.

5. **Faxim, faxit, faximus, faxint,** est forma verbi *fácio*, loco *fécerim*, &c., **fécerit** Deus, *fáciat* Deus, velit Deus fácere ut . . .

6. **Tússio,**[4] **vi, tum,** est actus hominis, qui gutture pruriente sonitum et clamorem frequenter edit invitus. Si pruritus idem in naso fiat, homo **sternutat**; quum ventus per guttur et faucem cum sonitu erumpit, præsertim post esum, homo **ructat,** v. **ructatur**; siquid autem acrius edat, bibat, vel fúmiget, **singultit,** v. **singultat**; ac demum, qui non placide ac tranquille dormit, sed spiramine vehementiori, is **stertit.**

## COLLOQUIUM LXX.

**C. D.**

MOX aderit præceptor; repetamus.

*D.* Quid opus est mihi repetitione? solus satis repetivi; iam totum memória téneo.

*C.* Quid tum?—quanto sæpius répetes, tanto mélius tenebis.

*D.* Recte mones; hábeo tibi grátiam.

*C.* Incipe iam nunc, tempus enim fugit.

*D.* Nómina ígitur QUARTÆ DECLINATIONIS. . . .

*C.* Erras, Dániel; ab exemplo hesterno incipiendum est.

*D.* Erravi, fáteor.

*C.* Age nunc, dic recte.

*D.* *Casus Nom. Singularis:* Sedile, *hoc.*

| | | |
|---|---|---|
| " | *Genit.* | sedilis, *huius.* |
| " | *Dat.* | sedili, *huic* |
| " | *Acc.* | sedile, *hoc,* |
| " | *Voc.* | o sedile, |
| " | *Abl.* | (a) sedili *hoc.* |

*Numerus Pluralis:*

*Casus Nominativus,* sedília *hæc,*
" *Genitivus,* sedílium *horum,*
" *Dativus,* sedílibus *his,*
" *Accusativus,* sedília *hæc,*
" *Vocativus* o sedília,
" *Ablativus,* (a) sedílibus *his.*

Nómina vero *Declinationis Quartæ* secundum istud exemplum declinantur.

| | | |
|---|---|---|
| *Cas. Nom.* | *Sing.* | Hic Sensus, |
| " *Gen.* | " | húius sensus, |
| " *Dat.* | " | huic sénsui, |
| " *Acc.* | " | hunc sensum, |
| " *Voc.* | " | o sensus, |
| " *Abl.* | " | (*in, a, cum*) hoc sensu. |

| | | |
|---|---|---|
| *Cas. Nom. Plur.* | | Hi Sensus, |
| " *Gen.* | " | horum sénsuum, |
| " *Dat.* | " | his sénsibus, |
| " *Acc.* | " | hos sensus, |
| " *Voc.* | " | o sensus, |
| " *Abl.* | " | his sénsibus. |

*C.* Háctenus; áudio præceptorem.

---

## COLLOQUIUM LXXI.

**E. F. G.**

QUID agis Francisce? Iam instat præceptoris adventus.

*F.* Instat, scilicet; nondum est semihora post secundam.

*E.* Quidquid sit, tamen intérea témpore abuti non debemus; repetamus pótius.

*F.* Non stabit per me; ego étenim sum paratus.

*E.* Incipe ígitur.

*G.* Exspectate parumper, quæso, nam ego quoque vestræ sum decúriæ.[1]

*E.* Matura.

*F.* Dicamus suum quisque casum órdine,[2] ut interdum nos docet præceptor.

*E.* Satis est verborum, atténdite.

*G.* Utique atténdimus, Quid áliud ágimus?

*E.* Nómina DECLINATIONIS TERTIÆ secundum hæc exempla declinantur:

*Pater, lumen, rupes, messis, pars, sedile, vectigal, láquear.*

| | | |
|---|---|---|
| *F.* | *Nom. Sing:* | **Hæc rupes,** |
| *E.* | *Gen.* | **húius rupis,** |
| *G.* | *Dat.* | **huic rupi,** |
| *F.* | *Acc.* | **hanc rupem,** |
| *E.* | *Voc.* | **o rupes,** |
| *G.* | *Abl.* | **(ab, in, de) hac rupe.** |

*F.* *Nom. Plur.:* **Hæ rupes,**
*E.* *Gen.* **harum rúpium,**
*G.* *Dat.* **his rúpibus,**
*F.* *Acc.* **has rupes,**
*E.* *Voc.* **o rupes,**
*G.* *Abl.* (ab, in, de) **his rúpibus.**

*G.* Non putas te in *Gen. Plurali* errasse ?

*E.* Nequaquam; quómodo ergo debebam dícere? Córrige erratum.

*G.* Debebas **rúpium** dícere.

*E.* Atqui ego sic dixi. Nunc tu dabis *Casum Dativum.*

*G.* Placet: *his rúpibus.* Tu autem, Francisce, dic *Accusativum.*

*F.* *Has rupes*; Abl. vero **his rúpibus.**

*E.* Coniunge id cum *nómine adiectivo.*

*F.* Non est in libro nostro.

*E.* Sed præceptor nos dócuit.

*F.* Nunc recordor; est ergo *rupes alta.*

*E.* Verte id in *vernáculum!*

*F.* (*reddit vernácule*)

*G.* **Hæc messis** (*declinat, ut supra, sed erravit,* F *corrigendo eum étiam erravit.*)

*E.* Uterque vestrum erravit.[3]

*F.* Me errasse nunc perspício et fateor.

*G.* Ego quoque; uter nostrum ergo erit victus?

*E.* Præceptor id iudicabit.

*F.* Æquum est.

*E.* Vultisne ut grátia memóriæ iuvandæ hæc ultérius prosequamur ?

*F.* Ecquid áliud ?

*G.* Quid si præceptor nunc nobis superveniret ?

*E.* Quid tum ? laudaret nos ore pleno.

*G.* Tamen mutandus nobis est ordo.

*E.* Non est dúbium ; íncipe Francisce !
*F.* Nómina *Declinationis Tertiæ* . . . &c.

1. **Decúria æ,** decem homines simul, sunt una **decúria,** qui his præest, est **decúrio, onis**; de militibus præsertim dicitur.

2. Variis modis licet dicere, uti **ordine, in ordine, in ordinem, per ordinem, ex ordine.**

3, Quamquam per **uterque** saltem duo intelliguntur, numero tamen singulari utimur (*erravit*), raro plurali. Verum si plures in binos, ternos vel quaternos divisi sint, plurali utimur, dicimusque: **utrique, utræque, utraque.** Quia vero loco nominis substantivi ponitur, *genitivum* regit (nostrum, vestrum, puerorum, &c.). Inter **utrumque** atque **ambo, ambæ, ambo** (quod singulari caret) illud interest, quod **ambo** de rebus eiusmodi accipitur, quæ semper binæ, vel geminæ sunt, sive natura, sive casu; sic dicimus: **ambo oculi, ambæ manus, ambo crura,** v. etiam: **ambo fratres,** si non plures sunt quam duo.

---

## COLLOQUIUM LXXII.

**H. I**

VISNE mecum pensum repétere ?
*I.* Cur tam própere?
*H.* Ne observator nos garrientes aut otiosos deprehendat.
*I.* Age, tum, repetamus, sed uter nostrum inchoabit ?
*H.* Ego, útique, quia victor sum.
*I.* Elóquere igitur.
*H.* *Prudens,* nomen adiectivum, secundum *genus* sic flectitur:
*Nom. Sing. géneris masculini,* **Hic prudens,**
" " " *fœminini,* **hæc prudens,**
" " " *neutrius,* **hoc prudens.**
Idem nomen in casus sic flectitur:
*Cas. Nom. Sing.* **Hic, hæc, hoc prudens**
*I.* " *Gen.* **huius prudentis**
*H.* " *Dat.* **huic prudenti**

*I.* " *Acc.* **hunc, hanc prudentem, hoc prudens,**
*H.* " *Voc.* **o prudens,**
*I.* " *Abl.* (ab) **hoc, hac, hoc prudente,** v. **prudenti.**
(Sic deinceps in plurali.)

---

## COLLOQUIUM LXXIII.

**L. M.**

CUR es tu otiosus?
*M.* At ego nequaquam sum otiosus.
*L.* Quid agis ígitur?
*M.* Cógito de penso reddendo.
*L.* Ego quoque id ago; repetamus ergo unà.
*M.* Placet; sed quam rationem tenébimus?
*L.* Age tu partes præceptoris, ego discípuli.
*M.* Valde placet mihi condítio.
*L.* Sed ne sis erga me æquo austérior.
*M.* Ne tímeas, nosti' me satis.
*L.* Verum mémoras.
*M.* Adeoque, declina *Lego,* in MODO INFINITO.
*L.* *Tempus Præsens,* MODI INFINITI, est **légere.** *Tempus Prætéritum Perfectum* autem est **legisse.**
*M.* Perge!
*L.* Sine me paulisper respirare, præceptor mi, quæso.
*M.* Fac, respires. Iamne satis est?
*L.* Est satis.
*M.* Nunc proséquere.
*L.* *Futurum indefinitum,* **Lecturum esse.** *Gerundivum* autem, quod *Partícipium Futurum Passivum,* est, adhíbitum ut *adiectivum,* **legendus, a, um** est. Dénique *Gerúndium,* quod idem Participium est, ut nomen substantivum, **legendum, legendi, legendo, ad legendum, legendo,** quod Plurali caret.

*M.* Tu offícium tuum certe óptime perfecisti. Laudem meres.[2]

*L.* Ego vero mihi ipsi grátulor; sed Deo est grátia.

*M.* Rectè dicis, útinam ex ánimo.

*L.* Certe ex ánimo.

*M.* Bene est. Nunc desinamus, præceptorem adventantem[3] séntio.

*L.* Eccum eum; iam præ fóribus est; st!

1. **Nosti,** est verbum defectivum, **novi, novisse,** e verbo **nosco**[3], **novi, notum,** quod idem est ac **cognosco,**[3] **cognovi, cognitum,** seu **scio.** Hæc verbi forma caret *tempore præsenti,* atque loco eius *tempus præteritum perfectum* adhibetur, quod est **novi, novisti,** vel **nosti, novit,** &c.

2. Est duplicis formæ, **méreo,**[2] **mérui, méritum,** atque **méreor, mereri, méritus.** Discrimen vix ullum interest ex usu Romano, Latinitate tamen sequiori **mereri** potius de **servilibus** dicimus, de fama, gloria, nomine, &c., **méreo** potius adhibetur.

3. Lente, passim, **advénio,** est **advento.**

---

## COLLOQUIUM LXXIV.

### N. O. P. Q. R.

HEUS púeri, nos hic sumus quinque, repetamus hodiernum verbum, ut solemus coram præceptore.

*O.* Nemo, ut opinor, contradicet.

*P.* Quis contradíceret? nostra ómnium res ágitur.

*Q.* Incipe ígitur Nicolae, qui primus sedes.

*N.* *Tempus* ergo *Præsens* MODI CONIUNCTIVI:

| | | |
|---|---|---|
| *Nrus. Singularis,* | | **Aúdiam,** |
| *O.* | | **Aúdias,** |
| *P.* | | **Aúdiat,** |
| *Q.* | *Nrus. Plur.* | **Audiamus,** |
| *R.* | | **Audiatis,** |
| *N.* | | **Audiant.** |

O. *Prætéritum Imperfectum,* Nrus. Sing:
**Audirem,**
P. **Audires,**
Q. **Audiret,**
R. *Nrus. Plur.* **Audiremus,**
N. **Audiretis,**
O. **Audirent.**

P. *Tempus Prætéritum Perfectum, Nrus. Sing.*
**Audíverim,**
Q. **Audíveris,**
R. **Audíverit,**
N. *Nrus. Plur.* **Audivérimus,**
O. **Audivéritis,**
P. **Audíverint.**

---

## COLLOQUIUM LXXV.

### S. T. V.

HIC dies nobis est feriatus,[1] et iam satis lúsimus.

*T.* Satis, profecto, ut opinor.

*S.* Vultis ergo ut ánimi grátia cónferam[2] de stúdiis nostris ?

*T.* Sane mihi gratum féceris.

*V.* Mihi vero gratíssimum.

*T.* Sed quid tractabimus?

*S.* Tentemus declinare áliquod verbum Latine simul ac *vernácule.*

*V.* Incipe ígitur, quia tu nos provocasti.

*S.* Fáciam, quando[3] ita placet vobis.

*T.* Audiamus.

*S.* *Tempus Præsens* MODI INDICATIVI, *Vocis Activæ,* CONIUGATIONIS SECUNDÆ:

*N. Sing.* **Dóceo,**
**doces,**
**docet,**
*N. Plur.* **Docemus,**
**docetis,**
**docent,**
*T.* *Tempus Prætéritum Imperfectum :*
*N. Sing.* **Docebam,**
**docebas,**
**docebat,**
*N. Plur.* **Docebamus,**
**docebatis,**
**docebant.**
*V.* *Prætéritum Perfectum:*
*N. Sing.* **Dócui,**
**docuisti,**
**dócuit,**
*N. Plur.* **Docúimus,**
**docuistis,**
**docuerunt,** vel **docuére.**
*S.* Nunc ego recitabo *Tempus Prætéritum Plusquamperfectum.*
*N. Sing.* **Docúeram,**
**docúeras,**
**docúerat,**
*N. Plur.* **Docueramus,**
**docueratis,**
**docúerant,**

1. **Feriatus, a, um,** quod est *liberum*, *immune*, dies festus.
2. Scil. *meam partem disserendi*, addam meam partem.
3. Idem ac **quandóquidem, quóniam.**

COLLOQUIORUM SCHOLASTICORUM

# MATVRINI CORDERII

GALLI,

IN USUM IUVENTUTIS STUDIOSÆ,

## LIBER SECUNDUS.

# COLLOQUIUM I.

ARGUMENTUM: *Quæstiunculæ proponuntur de litteris, quas pueri accipere solent.*

**Cornélius, Martialis.**

QUID legis?

*M.* Lítteras.

*C.* A quo?

*M.* A patre.

*C.* Quando eas accepisti?

*M.* Heri.

*C.* Quis adtulit eas?

*M.* Néscio.

*C.* Nescis? quis tibi trádidit eas?

*M.* Ancilla[1] quædam a caupone.[2]

*C.* Unde sunt datæ?

*M.* Lutétia, credo.

*C.* Quo die?

*M.* Nondum lícuit inspícere.

*C.* Nempe ego te interpellavi.[3]

*M.* Parum refert; non ádeo sum occupatus.

*C.* Age, pérlege tuam epístolam; ego intérea stúdiis meis óperam dabo.

*M.* Ego quoque mox idem fáciam.

1. **Ancilla, æ,** est puella quæ servit, *serva*, *famula*.

2. **Caupo, onis,** est homo, qui in sua **caupona** varios **potus** (**-us**) vendit, uti *vinum*, *cervisiam*, *brisæum*, *secalmum*, est locus ebriosis gratus.

3. **Interpello**[1], **vi, tum,** = interrumpo.

# COLLOQUIUM II.

ARGUMENTUM: *Hic unus alterum de fratre percontatur, cuius salus huic plurimum cordi est.*

**Músicus, Herardus.**

QUO in statu sunt res vestræ Lugdunenses?[1]

*H.* Néscio, iam pridem nihil illinc audívimus.

*M.* Nihilne scripsit frater tuus?

*H.* Ex duobus ménsibus nihil litterarum misit quod pater víderit.

*M.* Fortasse ægrotat.

*H.* Mínime verò; nam veredárii[2] verbis eius nobis sæpe salutem núntiant.

*M.* Libenter áudio eum bene valere. Valde díligo eum, quia fuit mihi suavíssimus condiscípulus.

*H.* Ille, ut mihi satis constat, te vicissim díligit.

*M.* Id, profecto, mihi in dúbio non est. Sed nos hora vocat, procedamus in auditórium.

*H.* Sane, maturemus. Iam ad nómina respondetur.[3]

1. **Lugdunensis, e,** *adi.* e subst. **Lugdunum, i,** est urbs frequens, (populosa) in Franco-Gallia, hodie *Lyon.* Terminatio **-ensis, e,** hominum reapse est, non rerum. Aliæ terminationes sunt **anus, enus, inus,** partim hominum, partim rerum; item **acus** et **icus,** etiam hominum et rerum. Sic Rom**anus,** Neapolit**anus,** Philadelph**enus,** Bononi**ensis,** Atheni**ensis,** Pers**icus,** Acti**acus,** German**icus,** Hispan**icus,** si de Hispanis ipsis agitur, *bellum* Hispan**iense,** si de *Romanis* in Hispania loquimur. Cavendum ergo, ne Philadelph**enses,** Monac**enses,** aliaque idgenus dicamus, sed ubi exempla Romana certa et definita præsto non sunt, analogiam sequamur.

2. **Veredárius, ii,** antiquis temporibus is dicebatur, qui equo veloci ut nuntius emittebatur, in quaque statione **veredo** (**-us, i,**), seu equo cursorio, v. cursuali permutato; *nuntius* equester, v. in genere, *nuntius.*

3. *Hoc est:* nomenclator iam nomina prælegit, puer autem quisque respondet "**adsum.**"

## COLLOQUIUM III.

ARGUMENTUM: *Observator socios suos publice hortatur, ne tempore abutantur; quidam e classe prima ei illico respondet.*

**Observator, Brisantellus.**

DÉSINITE, o pueri, garrire absente magistro,
Verba, quibus summus læditur ille Pater.
De studiis potius tractate & rebus honestis:
Discite colloquiis verba Latina loqui.
Discite & inter vos reddenda revolvere sæpe,
Doctor enim pueris semper adesse nequit.
Discite sectari vestigia certa bonorum.
Otia vos fallant blanda cavete, precor.
En ego præmoneo, vos ne delectet abuti
Tempore, ne tergum verbera dura premant.
Ecce iterum vobis morum prædico magister,
Si quis erit cæsus, ne mihi det vitio.
*B.* Désine plura loqui: nemo parere recusat.
Est monitor nobis optimus ille Pater,
Illiusque Patris natus, cui nomen Iesus,
Et qui nos renovans Spiritus intus alit.
*Ob.* Quem mihi sperassem tam respondere paratum?
Qui puer Angelicos mittit ab[1] ore sonos?
O quam te memorem, nostræ doctissime classis!
Nam tibi divinum carmen ab ore fluit.
Non sum tam felix ut fundam ex tempore versus,
Sed modo quæ dixi præmeditatus eram.
*B.* Si meditatus eras, qui nunc tam fundis aperte
Castalios[2] latices? quis furor ille novus?
*Ob.* Nam tua me tantis moverunt carmina flammis,
Ut mihi nunc videar posse movere feras.[3]
*B.* Sed cur immeritum tantis me laudibus effers?
Est tribuenda uni gloria summa Deo.

Atque utinam eloquium nobis, spatiumque daretur,
Et nostra in laudes solveret ora suas.
Sed quia tempus adest ut voce & mente precemur,
Idque iubet doctor, desine plura loqui.

NB. Accentus in hoc Colloquio notare non possumus, alio enim modo enuntiamus vocabula in carmine iuncta, aliter in sermone, v. oratione soluta, seu prosa. Versum enim, ut exemplo utamur, primum sic canimus:

*Désinit 'ó puerí garrír' absénte magistro,*

nec aliter quam ex auditu cantum discere possumus. Hoc genus carmen e paribus, seu geminis versiculis constat, quorum prior **hexámetrum**, alter autem **pentámetrum**, seu *sex* metra (mensuræ, *pedes*) appellatur, atque *quinque* metra (mensuræ, *pedes*), simul autem **dísticha**, versus pares. Reliqua explicare ad Poesin spectat.

1. **Ab ore**, per licentiam poeticam dictum, in prosa *ex ore* diceremus; at syllaba **ex** longa est, **ab** autem brevis, eo autem loco syllaba longa (*pes longus*) adhiberi non poterat.

2. **Castalius latex**, Castalia unda, aqua Castalia, fontem singificat mythicum et poeticum in Monte Parnasso, cui nomen fingebatur esse **Castalia.** Ergo, "qui nunc latices Castalios fundis," significat: "Tu, Observator, nunc quasi furore poetico abreptus, ista carmina propria tua non e memoria, sed e corde, recitas, qui afflatus Divinus subitaneus e est, quem antea nunquam audivimus?"

3. Sic sum accensus et inspiratus, ut me ipsa animalia *fera* ad sensum rationalem movere posse credam.

---

## COLLOQUIUM IV.

ARGUMENTUM: *Observator de rebus minutis sciscitando, puerulum in mendacio deprehendere tentat.*

**Observator, Puer.**

QUID agis?
*P.* Scribo.
*O.* Quid scribis?
*P.* Senténtias.
*O.* Quas?
*P.* Ex Novo Testamento.

*O.* Bene facis; unde id habuisti?[1]
*P.* Hypodidascalus dictavit nobis.
*O.* Quando?
*P.* Heri.
*O.* Quota hora?
*P.* Merídie.
*O.* Ubi?
*P.* In área.
*O.* Qui áderant?
*P.* Cuncti doméstici,[2] præter primanos et secundanos.
*O.* Ubi erant illi?
*P.* In aula communi.
*O.* Quid agebant?
*P.* Disputabant.
*O.* Vale, & perge scribere.[3]

1. Reapse: unde id **habes**, sed quoniam id iam diutius *habet*, tempus *præteritum perfectum* adhibet.
2. Omnes qui in domo habitant.
3. Non dicit *perge scriptum*, quia **perge** hic idem valet ac *prosequere*. *continua*, alioquin *supino* debebat iungi.

---

## COLLOQUIUM V.

ARGUMENTUM: *Observator, hic, quod notet, deprehendit nihil.*

**Observator, Pueri studiosi.**

QUID vos hic agitis, púeri? Garrire & nugas agere mihi vidémini.

*Quidam puer.* Longe fálleris, nam repétimus unà.

*Ob.* Quam rem?

*P.* Verba nempe *anómala;* id enim est quod nobis hora tértia reddendum est.

*Ob.* Bene fácitis.

*P.* Vis audire nostrum collóquium?

*Ob.* Imo prosequámini; ego ex mea parte grándius opus méditor, picis[1] nempe atque gráculis[2] láqueos téndere.[3]

*P.* In area plures offendes[4] in sole se apricantes.

*Ob.* *Rétibus est illic præda parata meis.*

1. **Pica, æ,** est avis, albis nigrisque plumis distincta, species corvorum; est valde furax et obstrepera, præsertim pullos gallinaceos furari solet.

2. **Graculus, i,** est avis, speciei corvinæ, plumis glaucis v. ceruleis; cæterum admodum docilis, vocem humanam imitari discit, est nugax et ludibunda, pueris gratissima. Non est *psittacus*. —**Apricor, ari,** esse in sole.

3. **Tendo,[3] tetendi, tentum, tensum,** ex-*tendo*, pro-*tendo*, porrigo, elongo; hic loci est phrasis **"láqueum téndere,"** quæ significat *casses*, *rete*, *tendícula* in sylvis, pratis v. arboribus exponere, quibus aviculæ incautæ, v. alia quæcunque animalcula capiantur. Observator igitur circuit, quasi laqueis iam tensis, ut pueros, qui tempus in area garriendo terunt, necopinatos capiat.

4. **Offendo,[3] di, sum** (ob+*fendo*, ut de+*fendo*, in+*fensus*) rem unam alicui rei impingere, illidere; sic ambulantes incauti pedem lapidi offendimus, illidimus; currendo incauti alicui homini vel rei nos allidimus, offendimus; quum hominem visitamus, qui tunc domi suæ est, eum domi *offendimus*, seu reperimus. Ultimus sensus est; quum hominem iniuria, contumelia, afficimus, v. opprobrio eum impetimus, etiam *offendere* eum dicimur. Hic, sensu *reperire* accipitur.

---

## COLLOQUIUM VI.

ARGUMENTUM: *Observator nequaquam timore percellit pueros quos in area otiosos deprehendit, sed potius suaviter ac mansuete eos admonet. Atque hoc exemplum ad imitandum commendatur iis, quorum est pueros curare, ne in rebus exiguis, aut quum pueri rebelles non sint, iusto severius in eos animadvertant.*

**Observator, Púeri garrientes.**

AT at! ecce, nunc certe capti estis; non fatémini?

*Quidam puer.* Profecto fatemur ingénue;[1] áttamen, Nicolae, quandóquidem verba indecora non iactávimus, noli, óbsecro, nos notare, aut ad Magistrum deferre.[2]

*Ob.* Quid garriebatis? — audivi, néscio quid, de 'ientáculo.'

*P.* Est ut dicis: de ientáculo hodierno disputabamus, quod fámulus témpore próprio ministrare neglexerat.

*Ob.* Credo id fuisse; quod quidem tantum nefas[3] haud existimo, præterquam quod loquela sit vana et ieiuna.[4]

*P.* Sed Latine loquebamur.

*Ob.* Audivi; nec hoc reprehendo, sed tempus fabulando idóneum non duco.[5] Nam, ut scitis, tantillum témporis intervallum a merenda summi faciatis est necesse, quum sit stúdio dicatum, scílicet, ut ad rite Magistris reddenda quæ præscripserant quisque vestrum se diligenter præparet. Nonne verum dico ?

*P.* Certe verum dicis; locum quemdam e Novo Testamento, qui a nobis mox reddi oportebit, debebamus simul légere, sed, ignosce precor, chare Nicolae, post hac prudentiores érimus, & offícium nostrum diligéntius præstábimus.

*Ob.* Si sic fecéritis, præceptor vos, amabit. Nonne videtis quemadmodum bonos studiososque púeros diligat? Nec amat solum eos, sed étiam laudat, præmiisque áfficit.

*P.* Ista scimus, et quotídie experimur.

*Ob.* Ergo mementote, et promissa fácite.

*P.* Tacebis ígitur hanc culpam ?

*Ob.* Tacebo, sed ea lege ut a recidendo[6] vobis caveatis.

*P.* Cavébimus, Christo favente.

1. **Ingénue,** *adv.*, modo ingénuo, nobili, liberali, palam, aperte.

2. Non proprie, sed metaphorice, *h. e.*, magistro (iudici) denuntiare, dicere, indicere. Malefactores dicuntur ad iudices, ad curiam, ad tribunal, &c., *deferri.*

3. **Nefas,** *nn. indecl.*, *n.*, est actus impius, contra leges divinas v. humanas; scelus, flagitium, mitiori sensu, ut hic, quidquid prohibitum est, quod fieri non licet, quoc vetitum est, illicitum est.

4. **Ieiunus, a, um,** proprie is ieiunus dicitur qui cibo vacuus est, qui nihil cibi cepit, stomacho vacuus est, etiam id quod inane, vacuum, aridum, sterile, inutile, perperam, vanum est.

5. **Duco,[3] xi, ctum,** hoc sensu idem atque *existimo*, *arbitror*, *iudico*, *puto*, *autumo.*

6. **Recido** (re+cado),[3] **récidi, recasum,** e novo loco v. statu in veterem relabi; sic qui e statu sano in morbum incidit, dein cura medici in statum sanitatis restituitur, sua propria incuria in morbum eundem, v. peiorem, *recidit.*

# COLLOQUIUM VII.

ARGUMENTUM : *Nomenclator pueros absentes conquirendo munere suo diligenter fungitur.*

**Nomenclator, Puer.**

VBI est frater tuus?

*P.* Modo ivit domum.

*N.* Quid eò ?

*P.* Petitum nobis opsónium.

*N.* Quid nunc vobis opsónio opus est?

*P.* In merendam.

*N.* An non habetis in arca[1] vestra ?

*P.* Non.

*N.* Eccur non ?

*P.* Quia mater non solet dare nobis opsónium, nisi in præsens tempus.

*N.* Nempe quia novit vos esse gulosos.[2]

*P.* Quómodo gulosi sumus?

*N.* Quia fortasse uno pastu[3] devoratis quod in tres datum fúerit.

*P.* Tace, ego dicam fratri te nos gulosos vocare.

*N.* Quin tu táceas, alióquin ego dicam præceptori fratrem tuum nihil aliud nisi discurrere.[4]

*P.* Atqui prodire, nisi cum vénia præceptoris, plane non solet.

*N.* Atqui ipse præceptorem fallit.[5]

*P.* Quomodo fallit eum?

*N.* Præceptoris mens certe non est, ut hic ter quotídie pródeat.[6]

*P.* Sine illum venire, áudies quid tibi respóndeat.

*N.* Imo ille víderit quid præceptori respondeat.

1. **Arca, æ,** est loculus **arctus**, coarctatus (ab *arcendo*), in quo rem quamdam abscondimus et servamus; potissimum sera et clavi occluditur, v. pés-

sulo firmatur, ne ianua sua sponte aperiatur. Etiam cistas et vidulos *arcas* vocant, sed minus apte.

2. **Gulosus, a, um,** qui *gulæ*, seu *gutturi* nimis favet; qui immoderate aut intempestive edit v. bibit.

3. **Pastus, us,** idem atque **esus, us,** est actus edendi, vorandi, pascendi; dicitur de belluis, pecoribus, aliquando etiam de hominibus, non per derisionem, sed proprie; sic: *homo bene pastus*, est homo satis pinguis, qui nunquam esurit, sed cibo abundat.

4. *Hoc est:* nihil aliud *agere* quam huc et illuc cursitare, vagari, non laborare.

5. **Fallo,[3] fefelli, falsum**, decipio, defraudo.

6. **Prodeo,[4] ivi, itum,** ire foras, èxire, ire prorsum.

---

## COLLOQUIUM VIII.

ARGUMENTUM: *Pecuniam allatam ex opinione vulgi optima nova videri. Reprehensio libera inter amicos. Evangelia Iesu Chirsti docere gratias Deo a nobis deberi. Quæri quare non omnes fidem Evangeliis præstent.*

**Pastor, Lángius.**

ADVENITNE frater tuus Lugduno?

*L.* Iam heri advenit ante merídiem.

*P.* Nihilne litterarum tibi ádtulit?

*L.* Nihil.

*P.* Quid ígitur nuntiavit?

*L.* Próspera ómnia.

*P.* De patre quid narrat potíssimum?

*L.* Ait illum, Dei henefício, febri iam pénitus levatum esse, et paulatim convaléscere.

*P.* Gaúdeo, revera, Deumque precor, ut pristinam valetúdinem brevi recuperare sibi liceat; sed cur ipse, ut solet, nihil ad te scripsit?

*L.* Frater negat eum scríbere potuisse.

*P.* Quamobrem?

*L.* Quia nondum erat satis confirmatus.[1]

*P.* Nihil mirum, quum tam diu, tamque gráviter ægrotaverit. Verum, dic, necquidquam pater tibi misit?

*L.* Imo vero misit pecúniam.

*P.* Hem, nullum núntium est iucúndius.

*L.* Ita áiunt.

*P.* Tu vero sic respondes, quasi fabulam áudias.

*L.* Imo péius quid áudio.

*P.* Quidnam?

*L.* Merum[2] mendácium.

*P.* Egone mentitus sum?

*L.* Mentitum quidem te esse non dico, falsum tamen dixisti.

*P.* Ego, quid dicas, non intélligo.

*L.* Dabo óperam ut intelligas.

*P.* Obsecro te.

*L.* Si nullum sit núntium iucúndius quam pecúniam mihi allatam esse, quid est Evangélium Iesu Christi? Quod núntium esse potest iucúndius, quam quod Iesus Christus nobis per Evangélium de grátia Dei ádtulit?

*P.* Fateor Evangélio iucúndius nihil esse, iis duntaxat qui ei credunt, idque ex ánimo amplectuntur.

*L.* Equidem sic intélligo.

*P.* At ego loquebar de humanis & terréstribus rebus, tu vero statim ad cœlum ascendisti.

*L.* Ita solent boni contionatores.[3]

*P.* Non putabam te Theologum esse tam acutum.

*L.* Nihil dixi nisi quod est tritum et in médio pósitum.[4]

*P.* Utinam illud tam vulgare et protritum esset, ut omnes in Christum crederent.

*L.* Omnes nunquam credent.

*P.* Quid próhibet?

*L.* Nihil quidem próhibet, sed ut ipse Christus testatur: *"Multi sunt vocati, pauci vero electi."*

*P.* Sed ne te diútius téneam, potesne fácere ut fratrem tuum paucis[5] convéniam?

*L.* Vix possum.

*P.* Quid ita?[6]

*L.* Nam habet a patre nostro mandata plúrima, in quibus curandis totus est occupatus.

*P.* Nonne cœnabit domi apud vos?

*L.* Sic fore opinor.

*P.* Ibo ígitur sub[7] horam cœnæ.

*L.* Veni precor, & eadem ópera nobiscum cœnabis.

*P.* Non recuso.

*L.* Interea vale; fac memíneris témpore adesse.

*P.* Quota hora?

*L.* Ante sextam.

*P.* Hora mihi est commodíssima.

1. **Confirmatus,** firmus, fortis, sanus.

2. **Merus, a, um,** est id, cui nihil est intermixtum, quasi: *nihil aliud nisi.* . . . Differt a "puro," quod immunditiam, impuritatem negat; *merum*, contra, totum negat. Sic *merum*, nn. subst., est vinum, cui nihil est immixtum.

3. **Contio, onis,** (ex *con*+ventio, secundum philologos, quæ derivatio etiam nobis placet), est concursus hominum ad audiendum oratorem, turba, congregatio, conventus, congressus hominum; qui ad *contionem* dicit, seu, qui *contionatur*, vocatur *contionator*, præsertim lingua religiosorum.

4. **Tritum** est omne id quod non est *novum*, et usu deterius, vel commune, cuique cognitum et vulgare factum. **In medio positum** illud dicitur quod ad manum est cuicunque ignaro, v. e plebe; quod nec magnam doctrinam, nec singularem virtutem, divitias, v. prærogativas exigit. Aliis verbis: Nihil dixi quod sit novum et insolitum, aut quod non omnes, qui velint, capere possint.

5. Ut ad loquendum cum eo **pauca verba,** conveniam.

6. **Quid** rei est, ut **ita** sit? Quare est ita?

7. **Sub horam,** eodem modo: sub diem, sub noctem, sub tempus edendi, sub hyemem, &c., est quasi **durante** hora, die, nocte, &c., **intra** tempus **sic** definitum; **sub vesperam** venire=vergente vespera, circa vesperam.

# COLLOQUIUM IX.

ARGUMENTUM: *Hic exemplum dissimulationis proponitur, quæ fit bono fine.*

**Vinéolus, Angelinus.**

ROGO te Angeline, compinge mihi hanc chartam.

*A.* Quid me rogas, non est ars[1] mea.

*V.* Et tamen sæpe compingis[2] aliis.

*A.* Quot ergo habes schedas?[3]

*V.* Octo, sed iam sunt complicatæ;[4] tantum ut operculo insuatur restat.

*A.* Quid mihi dabis, si eam tibi compégero.

*V.* Nihil hábeo quod tibi dare possim, saltem pecúnia nulla mihi est.

*A.* Tum quære tibi álium opíficem, gratis enim non fáciam.

*V.* At Angeline mi, tu tam bonus erga me esse soles: num rem tantillam mihi negabis?

*A.* Scin'tu quid provérbium docet?

*V.* Quod provérbium?

*A.* Quod sic ait: *"Manus manum lavat."*

*V.* Et quid hoc sibi vult?

*A.* Ut áliquid des, si quid accípere velis.

*V.* Si áliquid haberem, certe libenter tibi darem.

*A.* Cedo[5] merandam tuam.

*V.* Merendam? — Ah me míserum! Quid tum ipse edam? Maliem píleum tibi dare, si auderem.

*A.* Merenda tua res exígua est.

*V.* At ego vehementer esúrio.

*A.* Quid causæ est?

*V.* Quia nihil prandi, nisi frustum panis. et tres aut quatuor iuglandes.

*A.* Eho, quid causæ fuit?

*V.* Quia mater domo áberat.

*A.* Quis ergo tibi dedit merendam?

*V.* Ipsa illa.

*A.* Atqui dicebas eam abfuisse.

*V.* Aderat quidem témpore prándii, nec rédiit nisi paulo ante merendam.

*A.* Nihilne edisti domi ántequam in ludum véneras?

*V.* Nihil omnino.

*A.* Cur non?

*V.* Timebam ne stato témpore adesse non possem.

*A.* Sonus campanæ te satis admonere debet.

*V.* Sic videri debet; ad nostras tamen ædes non auditur.

*A.* Qui hoc esse potest?

*V.* A schola longe ádmodum distant.

*A.* Suntne hæc ómnia vera quæ mihi narras?

*V.* Sunt profecto, mi Angeline.

*A.* Age, præbe[6] mihi tuam chartam, iam ego pangam tibi elegantem libellum, tu intérea sume tuam merendam.

*V.* Tu magna erga me es humanitate. Ego vicíssim petam a matre quinárium,[7] quem tibi dabo.

*A.* Cave hoc fácias; ego necquidquam a te accípiam, quin pótius, si indigeres, ego tibi darem.

*V.* Ago tibi grátias.

*A.* Nonne putabas me abs te merendam sério petivisse?

*V.* Profecto sic putabam.

*A.* Atqui ioco hoc dicebam.

*V.* Quamobrem?

*A.* Ut te paulisper Latine fabulari audírem. Nam quod bene discas, cordi mihi est. Quanti emisti chartem hanc?

*V.* Satis vili emi, nempe denário.[8]

*A.* Non emisti male, bona est; sed non bene complicasti. Habesne opérculum?[9]

*V.* En, tene.

*A.* Bene est; ego hoc cítius confécero quam tu merendam consúmpseris.

*V.* Habebo tibi máximam grátiam, mi Angeline.

*A.* Honeste lóqueris; sed memento fili, ut semper in timore Dei vivas, matri diligenter obédias, scholam sédulo frequentes, sis studiorum díligens, ne cum pravis ac dissolutis verseris, dénique, quibus póteris, benefácito, eo modo quo ego tibi feci; intellextin'?[10]

*V.* Optime.

*A.* Fac ígitur ut mei sæpe memor sis.

*V.* Fáciam, Deo volente.

*A.* Es[11] nunc otiosè.

1. **Ars, tis,** f., proprie est opus aliquid coniungendi, compingendi, adaptandi, e verbo *arto, are*, ut philologis placet, quod nos *arcto* dicimus; denotat tam opus manuum, quam mentis et ingenii. Apud Romanos aliquæ artes erant *liberales*, seu eæ, quæ viris honestis, libere natis, conveniebant, veluti medicina, architectura, litteræ, scientiæ, pictura, musica, Rempublicam regendi, militaris, &c., aliæ autem *illiberales*, et *sordidæ*, uti omne id, quod ob quæstum, mercedem, manupretium exercebatur, ut puta, opificia, mercatus, omnis labor manuum, v. ex quo aliquis victum merebat, quæ non viros ingenuos et nobiles, sed servos, ignobiles, mercenarios et operarios conveniebant. Nec hodie magni eos facimus qui litteris et bonis artibus mercatum, lucrum et quæstum exercent.

2. **Compingo,[3] pegi, pactum** (*pango,[3] pépigi, pactum*), copulo, iungo, constringo, ligo, in unum vincio, premo, contraho, uti singulas paginas in fascem vel librum; is qui libros pangit, vel *com*pingit, est compactor.

3. **Scheda, æ, schida, scida, schedula, schedulium,** est filara chartæ; est una charta, unum folium chartæ, maius v. minus.

4. **Complico,[1] vi, tum** (**plico, are,** e **plica æ,**) vestes faciunt plicas, ubi variæ partes corporis humani flectuntur, ut in genu, in armis, in cubito; hinc fiunt: complico, explico, replico, implico, applico, supplico, duplico, multiplico, &c. Plicas cutis humanæ, uti in vultu hominum senectute confectorum, *rugas* appellamus. Sic, quum litteras scriptas *mittere* volumus, eas prius *complicamus*, dein *involucro* imponimus, huic **insignaculum** inscribimus, tum **pittacium** duarum libellarum ei aggluimus, demum *tabellariæ* committimus.

5. Da mihi, trade mihi.

6. **Præbeo,[2] ui, itum**, porrígere, dare manu extensa.

7. **Quinárius, ii,** est moneta 5 libellarum, cuiuscunque gentis; una libella est moneta minima: centum faciunt unum **centussem.**

8. **Denárius, ii,** est moneta 10 (decem) libellarum; decem denarii faciunt centussem.

9. **Opérculum, i,** tegumentum, involucrum; id quod **óperit,** tegit, aliquid; sic libros duæ tabellæ exteriores tegunt, intra quas sunt paginæ

10. **Intellexistine?**

11. Modus Imperativus, *lenior*, verbi **edo,**[3] **edi, esum,** seu **edas,** cómedas, manduces; *otiose*, commode, lente, non propere, non properando.

---

# COLLOQUIUM X.

ARGUMENTUM: *De discrimine inter carnes, unde beneficia Dei agnoscenda esse. De mendacio vitando. Christum esse veritatem. Christianos filios esse Dei, atque fratres Iesu Christi. De charitate erga pauperes.*

**Davinius, Muyus.**

QUID dedit tibi mater in merendam?

*M.* Vide.

*D.* Caro est; sed quænam?

*M.* Búbula.[1]

*D.* Recensne an salsa?

*M.* Est búbula salsa.

*D.* Pinguisne an macra?

*M.* Hem, inepte, non vides macram esse?

*D.* An non malles esse[2] vitulinam aut vervecinam?[3]

*M.* Utraque bona est; sed e cunctis genéribus hœdina,[4] præsertim assa,[5] mihi máxime sapit.

*D.* Hem, delicatulum!—iamne palatum tam scitum habes?

*M.* Dico ut sentio, mentiendum enim non est.

*D.* Absint a nobis mendácia. Sumus enim filii Dei, & fratres Iesu Christi, qui ipsa est véritas, quemádmodum ipse de se testatur.

*M.* Sed ad rem. Suilla[6] quoque libenter vescor, rite cocta, modicoque sale conspersa.

*D.* O miram Dei grátiam, qui nobis tot opsoniorum[7] génera, tamque bona largitur!

*M.* Quot putas esse hac in urbe páuperes, qui solo pane, eoque hordeáceo,[8] víctitant, ne hoc quidem ad satietatem?

*D.* Non dúbito satis multos esse, in tanta præsertim annonæ[9] caritate.

*M.* Itaque nos in tanta, tamque bonarum rerum cópia, quantas Deo grátias ágere debemus! item, quas laudes illi dícere!

*D.* Eius ígitur benefícia ubique magnífice prædicemus, atque simul precemur, ut inópiæ páuperum suorum clementer misereatur.

*M.* Utinam ipse corda nostra ad eam rem Spiritu suo pénitus affíciat.

*D.* Et ego ita precor.

1 **Búbula, æ,** caro bovina, seu boum, taurorum, vaccarum.

2. **Edo,[3] edi, esum,** declinatur autem: *edo*, *edis*, *edit*, aut vero: *edo*, **es, est;** adeoque etiam loco *edere*, dici potest **esse.**

3. **Vervex, v. berbex** (*brebex*, Gallorum *brebis*), est *aries* castratus, ovis emasculata; eius caro vocatur **vervecina. Vitulina,** est caro *vitulorum*, qui sunt *búbuli*, seu boves iuvenes, *iuvenci.*

4. **Hœdus, i,** est *hircus*, seu, *caper* iuvenis; fœmina est *capra*, parva autem *capella.*

5. **Asso,[1] vi, tum,** est verbum transitivum et frequentativum e verbo neutro, seu intransitivo *áreo;*[2] hinc etiam sunt *áridus*, *a*, *um*, *arena*, *æ*, atque *árdeo;*[2] fere idem atque *torreo*;[2] attamen *asso* dicimus de carne quam igni sine aqua imponimus, *cum* aqua, *coquimus*. *Assatura* est caro assa, ad edendum æstu ignis parata, sive craticulis, sive veru, sive sartagine, sed non olla; nam in olla *coquimus*. **Asso** etiam differt a **frigo[3] xi, xum,** quod de assando *velociori* super flammam aut carbones candentes dicimus; ova sic parata, nempe in sartagine, mixta, **fritillam** appellamus.

6. **Suilla, æ,** est caro *suis*. Sus *mas* est **verres, is,** fœmina est **scrofa, æ;** sues parvæ sunt *porci*, *porcelli* (v. *æ*), aut etiam **nefrendes (-ns dis).—Vescor, sci,** (nihil ultra) est habitus rem quandam edendi; *ablativum* regit; sic dicimus: homines carnibus et plantis *vescuntur*, *h. e.*, eas res solent edere.

7. Lingua colloquendi **opsónia** potius de leguminibus dicimus, non de carne. Proprie, secundum usum Classicorum, id omne erat opsonium, quod pani, velut incitamentum, addebatur, præsertim caro. Nostris temporibus opsonium appellamus præsertim *ólera* (brassicam, fabas, pisa,

rapas, radiculas, pepones, caules qualescunque, &c), quæ cum carnibus simul dapinamus.

8. **Hordeum, i,** genus tertium frumentorum; primum est **tríticum,** secundum est **secale, is, n.,** tertium, **hordeum,** ex quo *braxatores* cervisiam *braxant*, potum, Germanis gratum. Panem *hordeaceum* temporibus nostris fere nemo coquit, nisi, fortasse pauperrimi gentium, quæ a civilitate ac commercio multum absint, veluti in regionibus montanis et frigidis, ubi asperitas cœli, aut sterilitas soli tritico ac frugibus generosioribus non favent.

9. **Annona, æ,** est frumentum, quod agri totius populi v. regni quovis *anno* procreare solent. Si aliquando agri ob quascumque causas *minus* frumenti gignant quam alias, frumentum *cariori*, seu *altiori* pretio venditur, quum egestatem, famem, imo pestilentiam sequi necesse est; pauperes enim fama pereunt.

---

# COLLOQUIUM XI.

ARGUMENTUM: *Pueri ridentes, qui quare rideant nesciunt, stulti existimantur. Ostenditur nullam occasionem, ubi etiamsi parum, discere possimus, amittendam esse.*

**Arnholdus,* Bessonus.**

QUID rides?

*B.* Néscio.

*A.* Nescis? Signum egrégium stultítiæ.

*B.* Me ígitur stultum vocas?

*A.* Mínime verò; sed explicare tibi volo id argumentum stultítiæ esse si quis rídeat, nec quare rídeat dícere possit.[1]

* Infinitus prope est numerus nominum Teutonicorum, quæ apud omnes gentes Christianas partim ut baptismalia partim ut cognomina circumferuntur, uno v. alio modo distorta et mutila. Talia sunt, ut vel pauca memoremus: Arnholdus, Bertholdus, Bernhartus, Dietrichus, Gildbertus, Gebhartus, Gerhartus, Eberhartus, Heinrichus (Enrichus, Emerichus), Colomannus, Hermannus (Arminius), Lambertus, Meinhartus, Reinholdus (Reinoldus, Reynoldus, &c), Reinhartus, Reinmundus (Raymund, Raymond, item Edmundus, seu Eidmundus), dein, Gottlobus, Gottliebus, Luitpoldus (Leopoldus), Siegesfriedus (Sigfriedus), Siegesmundus, Süssmundus (Sismondi), Wolframus, Wolfgangus, et sic porro. Tam philologia, quam fides historica exigunt, ut hæc, similiaque nomina suo proprio et iusto modo exscribamus, quemcumque demum morem et consuetudinem vulgus sequatur.

*B.* At quid stultítia est?

*A.* Si *Catonem*[2] tuum diligenter evólveris, id quod quæris repéries.

*B.* Nunc *Catonem* meum mecum non hábeo, prætérea nunc étiam áliam rem ágere volo.

*A.* Quid negótii tibi est?

*B.* Aliquid e rudimentis mihi ediscendum est.

*A.* Et tamen fabulari quæris intérea, inéptule?

*B.* Dic mihi, quæso, de stultítia, ex Catone.

*A.* Locus sic sonat:

*"Stultitiam simulare loco,*[3] *prudéntia summa est."* An hæc non didicisti?

*B.* Imo, profecto, dídici, sed memória me fefellit.

*A.* Quum domum véneris, ínspice librum tuum.

*B.* O quantas grátias tibi débeo; ego vicissim álteri alícui quæstionem hanc proponam, qui idéntidem respondere non póterit, et sic victus erit.

*A.* Tace puer, tace inquam, et pótius ipse discas, ne fortasse vápules.[4]

*B.* Non multum curo; ego doctrinam fere téneo.[5]

*A.* Si non tacúeris, ad observatorem te déferam, qui te statim notabit.

*B.* Mane, mane, nihil ámplius dicam.

*A.* Sed memíneris quod tibi dixi.

*B.* Ecquid ínnuis?

*A.* Ne sine causa unquam ríseris.

*B.* Sed ridere nihil mali est.

*A.* Nec ego hoc assevero.

*B.* Quid ígitur?

*A.* Ridere sine causa stulti est.

*B.* Nunc demum cápio.

*A.* Esto igitur eius rei sæpe memor.

1. Pruritus hic ridendi, nugandi et iocandi iuventuti non humanæ solum sed etiam animali communis et proprius est. Senectus est morosa. Nec

iuventus potest ac debet penitus arceri, nec senectus vituperari. Cuique suum. At mensura dari debet. Quo plus iuvenis riserit, eo acerbior et morosior senectus. Parce igitur iuvenes rideant, servando aliquid pro senectute.—Magistri, utique, risu ac lætitia puerorum immoderata nimium in modum vexantur. Hinc enatus est versiculus, quem nos in schola appensum didiceramus:

**"Per risum multum, poteris cognoscere stultum."**

2. Non putamus hic *Marcum Portium Catonem* Censorium innui, sed potius *Dionysium Catonem*, qui Disticha de Moribus, temporibus Constantini, Imperatoris, sæculo IV-to ediderat. Magnus enim ille *Cato* de *Originibus*, atque *De Re Rustica* libros edidit.

3. Maxima prudentia est illius hominis, qui proprio loco et proprio tempore se stultum et ignarum simulare scit.

4. Pœnam accipias.

5. Fere totum pensum memória téneo.

---

# COLLOQUIUM XII.

ARGUMENTUM: *Lætum Evangelii nuntium.*

**Cleóphilus, Melchisedech.**

ECQUID habes novi?

*M.* Accepi litteras a fratre, qui Lugduni hábitat.

*C.* Quando eas accepisti?

*M.* Heri sub noctem.

*C.* Quis eas ádtulit?

*M.* Piscárius.[1]

*C.* Quidnam comperisti[2] ex iis lítteris?

*M.* Omnia ibi, quæ ad Evangélium pértinent, recte se habere.[3]

*C.* Verane prædicas?

*M.* Si dúbitas, exspecta usque post prándium, quum tibi litteras ipsas exhibebo.

*C.* Tum habemus quod frátribus nostris[4] gratulemur.

*M.* Vel pótius pro quibus Deo nostro grátias máximas reddamus.

*C.* Id quidem nunquam non fácere debemus, sed nunc máxime, quum ea audimus quæ ad glóriam eius præcípue pértinent.

*M.* Utinam hoc semper memória teneremus.

*C.* Lítteras ígitur mecum communicabis.

*M.* Ut iam promisi.

*C.* Ergo post prándium.

*M.* Numne adhuc dúbitas?

*C.* Mínime; sed intérea vale.

*M.* Vale & salve tu quoque *Cleóphile!*

1. Piscarius, ii, non est *piscator*, sed is qui pisces vendit.
2. Verba auctoris: "Quidnam *intellexisti* ex istis litteris?"
3. In Helvetia, patria auctoris, eo tempore motus religiosus ab obedientia Romana recedendi incepit. Hic allusio est ad "propagationem Evangelii," seu factionis Calvinianæ; *Iohannes* enim *Calvinus* unus erat discipulorum Auctoris.
4. Nempe asseclis *Calvini.*

---

## COLLOQUIUM XIII.

ARGUMENTUM: *Hic quæstiones de profectione loco et de reditu ad eumdem proponuntur.*

**Israel, Matthæus.**

ESTNE domi frater tuus?

*M.* Cur istud rogas?

*I.* Pater meus volebat eum convenire.

*M.* Abest urbe.

*I.* Ubi est ergo?

*M.* Péregre profectus est.

*I.* Quando?

*M.* Núdius tértius.

*I.* Quonam ívit?

*M.* Lutétiam.

*I.* Qua?

*M.* Per Lugdunum.

*I.* Per pedesne, an vectus?
*M.* Utique vectus tractu[1] expedito.
*I.* Quando est rediturus?
*M.* Néscio.
*I.* Sed quem términum constítuit ei pater?
*M.* Vicésimo huius eum adesse iussit.
*I.* Ducat eum Deus etreducat.
*M.* Et ego ita precor.

1. Quum cum temporibus mores quoque tam sint mutati, ut hodie in terris gentium civilium iam prope nemo sive pei pedes, sive equo vectus iter longius faciat, satius duximus textum nostris moribus sic adaptare, ut rerum novarum nomina Latina simul doceremus. Nec enim id interest quas et quemadmodum veteres res fecerint, utque id ad amussim in hoc libello præsentemus, sed ut modum colloquendi de rebus nostræ ætatis doceamus. — **Tractum** (-**us, us,** *m.*) igitur **expeditum** vocamus *currus*, seu **carros. vectábula,** per *orbitam* ferream, seu per **ferroviam,** a **cietro** (-**um, i,** quod machinamentum vaporarium est) tractos, et vectos, quæ non in singulis stationibus subsistunt, sed sunt **pervialia,** a meta digressionis usque ad terminum.

---

## COLLOQUIUM XIV.

ARGUMENTUM: *Exemplum exhibetur amicitiæ puerilis.*

**Duæus, Ballias.**

QUANDO es domum profecturus?
*B.* Cras, si sic Deus volúerit.
*D.* Quis sic iussit?
*B.* Pater.
*D.* Et quando iussit ?
*B.* Hebdómade superiore, per lítteras ad me datas.
*D.* Quo die accepisti lítteras?
*B.* Die Véneris.
*D.* Prætérea quid continebant lítteræ?
*B.* Omnes bene valere, atque diebus próximis initum fore vindémias.

*D.* O te fortunatum, qui vindemiatum próperas!

*B.* Vis dicam patri ut te invitet?

*D.* Quam gratum mihi fáceres! sed véreor ut id facere velit.[1]

*B.* Imo, gaudebit, tum propter nostram coniunctionem, tum verò quia & Latine colloquendo nos exercebimus, & prætérea etiam de stúdiis, interdum unà conferemus.

*D.* Oh, præ gáudio totus exsílio. Amabo te, id cura, mi animule.[2]

*B.* Iam sénties; intérea Deum precemur, ut dicta, facta & consília nostra in glóriam sui nóminis vertat.

*D.* Bene mones, et certe ita éxpedit fácere.

1. Auctor noster: "sed vereor *ut nolit;*" at plane contrarium volebat dicere, nempe: "vereor ut **velit.**" Dicere etiam poterat: "sed vereor **ne** id facere **nolit,**" aut vero: "sed vereor **ut** id facere **velit.**" Utroque modo est Ciceronianum. Sic (Fam. XIV. 5. 1.) Tullius scribit: "intellexi te vereri **ne** superiores (litteræ) mihi redditæ **non** essent." Cum **ut** autem (De Orat. I. 9. 35.) "Illa duo, Crasse, vereor, **ut** tibi **possim** concedere."

2. **Anímulus, i,** est verbum amoris, in casu Vocativo, seu *animus* charus, dilectus; sic etiam: **ocelle,** (oculos), **púpule, pupille,** seu **pupus** (puerulus) charus.

---

## COLLOQUIUM XV.

ARGUMENTUM: Aurelius *rogat* Lambertum *domum contendentem, ut reversurus, sibi aliquot racemos uvarum secum ferat; quod puerilia desideria ostendit.*

**Aurélius, Lambertus.**

SISTE gradum[1] parumper, Lamberte; quò próperas?

*L.* Rectà domum.

*A.* Quo consílio?

*L.* Mater vult me paucis convenire.

*A.* Nescis quam ob rem?

*L.* Nescio, nisi forte sibi in animo sit ut mihi indumenta[2] hyberna fieri curet.

*A.* Istud verosímile videtur, quandoquidem hyems iam pedetentim instat.

*L.* Iam enim hic et illic gelicídia[3] ac glacies passim visa sunt.

*A.* Vidi superióribus diebus montanos[4] in foro,[5] qui dicebant, hebdomade prætérita, quum hic lentas ac tépidas plúvias experti eramus, apud se iam magnam viam[6] nívium decidisse.

*L.* Ego quoque idipsum audivi domi nostræ a rústicis, qui nobis tríticum advéxerant. Verum sermonem hic abrúmpere cogor ne matris iram incurram.

*A.* Sed heus tu, mi Lamberte, adfer mihi domo áliquot racemos[7] uvæ, nam vindémia vobis fuit amplíssima.

*L.* Bene est, fáciam, et, ut spero, ádferam utrique nostrum affatim,[8] ni[9] fortasse mater mihi irata prohibúerit.

*A.* Deus hoc avertat.

1. **Siste gradum,** *hoc est,* subsiste, sta, cóntine gressus tuos, ne ulterius eas, noli ire, abire, exspecta parum.

2. **Indumentum** est id quod indúimus, vestis, vestimentum.

3. **Gelicídium** est e **gelu** + **cædo,** seu frigus, quod succum plantarum in glaciem vertendo, eas énecat, excídit.

4. Homines qui in regionibus montibus asperis habitant **montani** appellantur.

5. Per **forum** potissimum locum nundinarum intelligimus, seu locum in qualibet urbe apertum, quo rustici e pagis, opifices e tabernis conveniunt, ut sua producta, et merces, venumdent, venum offerant, vendant.

6. **Vis** sæpe *magnitudinem* significat, uti hic: *vis nivium* est *magna copia* nívium. **Nix, nivis, f.**, autem est aqua, vel vapor, in aere congelata.

7. Auctor noster tantum **uvas** memorat, quod erroneum est. *Uva* enim ipsam *speciem* fructus tantum denotat, non vero *quantitatem.* Nam etiam *una bacca* uva est. Genitivus partitivus hic exigitur propter nomen *racemi,* qui corpus uvæ, seu omnes baccas simul, comprehendit.

8. Abundanter, non parce, liberali ac munifico modo.

9. **Nisi;** sæpe sic corripi solet.

# COLLOQUIUM XVI.

ARGUMENTUM: *Duo socii statuunt ut simul tonstrinam adeant. Nemini gratum esse docemur urgente tempore interpellari.*

**Pelignus, Bartholomæus.**

QUONAM is tam festinanter?[1]

*B.* Ad tonsorem.[2]

*P.* Ego quoque, unà tecum.

*B.* Petivistine véniam?

*P.* Nondum; sed tantisper me exspecta dum eo petitum?

*B.* Festina ígitur.

*P.* Mox tibi ádero. — En me reducem.[3] Nunc ergo eamus.

*B.* Quo vultu excepit te præceptor?

*P.* Hílari, profecto.

*B.* Me quoque eodem exceperat.

*P.* Irasci nobis non solet, nisi eum intempestive[4] adeamus.

*B.* Quotusquisque id non ægre fert?

*P.* Etiam nos, qui púeri tantum sumus, condiscípulis haud raro iráscimur, quum stúdia nostra, quantulacunque ea sint, interpellant. Sed iam desinamus, amice; tonsorem ante suam tonstrinam conspício.

*B.* Euge, vacuam eam compérior, pro bona fortuna, adeoque nemo nos demorábitur.[5]

1. Quo vadis tam própere?

2. **Tonsor, oris,** est homo, qui barbam, v. mystaces *novácula* radit, atque crines *fórfice tondet;* locus vero, ubi tonsor laborat, est **tonstrina.**

3. **Redux, cis,** est is, qui ab aliquo loco redivit. "En me reducem" est idem ac "en me reversum."

4. Non iusto et proprio tempore, *importune.*

5. **Demoror, ari, atus,** facere ut aliquis sero veniat in quemdam locum; retardare, detinere aliquem.

# COLLOQUIUM XVII.

ARGUMENTUM: Bernhartus *ad portum deambulat, visum quid alimenti sibi afferatur.* Antonius *fit ei obviam, quo fit, ut socium colloquendi habeat.*

**Antónius, Bernhartus.**

NUNC solus quo abis?

*B.* Tu semper a vérsibus aliquid auspicaris.[1]

*A.* Fácile est carmen incípere, dedúcere non item. Sed dic, quo nunc is?

*B.* Rectà in portum.

*A.* Quid negótii habes in portu?

*B.* Visam quid alimenti mihi advectum sit.

*A.* Visne me tibi comitem?[2]

*B.* Imo étiam ducem, si tibì ita vidébitur.

*A.* Dux esse nunquam didici, sed comítem sæpe egi.[3]

*B.* Nihil ad rem pértinet plúribus verbis hic fabulari; eamus unà.

*A.* Sic, sane, eamus; ámplius confabulari in ripa lacus deambulando licebit, si navis nondum appulsa[4] sit.

*B.* Quid si iam sit appulsa? Deambulare tamen satis diu potérimus, dum exoneratur.

1. **Auspicor, ari, atus** (etiam **auspico,**[1] **vi, tum**) incipere, occipere, initium facere, inire aliquid.

2. Visne me habere socium itineris?

3. Munere, vice, officio, comitis, amici, imperatoris, &c. fungi.

4. Navem appellere (ad + pello), ad portum, ad ripam, pervenire. Non raro legimus: "Ubi appulimus," "quum appulerunt," &c., semper supplendum est mente "navem."

# COLLOQUIUM XVIII.

ARGUMENTUM: *De quodam púero, qui cum patre suo in agris ambulatum iverat.*

**Nomenclator, Puer.**

UBI est *Petrus?*

*P.* Foras ivit.

*N.* Quo?

*P.* Abiit rus.

*N.* Quocum?

*P.* Cum patre.

*N.* Quis vénerat accersitum eum?

*P.* Fámulus patris.

*N.* Quando redibit in urbem?

*P.* Ad octo hinc,[1] ut mihi dixit.

*N.* A quo petivit véniam abeundi?

*P.* Ab hypodidáscalo.

*N.* Cur non pótius a ludimagistro.[2]

*P.* Is ad negótia prodívit.

*N.* Sat hábeo.

1. **Ad octo hinc, ad octo ab hinc,** in futuro, atque **ab hinc octo;** in præterito autem: **hodie octo, heri octo,** aliaque similia barbara sunt, e linguis modernis conversa, hic ut exempla tantum citari volumus, non tamen commendamus. Divisio temporis in *hebdomadas*, seu *septimanas* ignota fuit, nec nisi serius a Iudæis adoptata. Attamen, quum nostris temporibus mos hic evitari non possit, satius ducimus vocabulum "septimanam" commendare, atque ideam Iudaicam sic exprimere: "hodie est septimana," "septimana est," "septimana ab hinc," "intra septimanam," &c.

2. **Ludimagister, tri,** próprie est præceptor infimi ordinis, qui pueros elementa docet; sensus tamen sic extendi solet, ut etiam generatim omnium scholarum magistros complectatur. Omnes, qui iuventutem instituunt sunt *doctores* (quia docent), *præceptores* (quia scientiarum et artium præcepta tradunt); ac, denique, *professores* (post-classicum), qui artes adultis tradunt, uti artem medicam, iurisprudentiam, theologiam, aliaque eius generis.

## COLLOQUIUM XIX.

ARGUMENTUM: Niger *cubiculum communem petens, rogatur a* Richardo *ut cingulum huius secum afferat.*

**Reichartus, Niger.**

QUO ascendis?

*N.* In cubículum nostrum.

*R.* Quo propósito?

*N.* Ad thecam meam scriptoriam deferendum.

*R.* Rogo te, meum quoque cíngulum eadem ópera mihi afferre ne graveris.

*N.* Ubi eum repériam?

*R.* Super arcam meam.

*N.* Bene est, áfferam, si eum repérero; sed tu intérea me hic præstolare.[1]

*R.* Nusquam[2] me hinc movebo.

1. **Præstolor,[1] atus,** exspecto.
2. In nullum locum, in nullo loco.

---

## COLLOQUIUM XX.

ARGUMENTUM: Gerhartus *a fratre per* Levinum *vocatur.*

**Levinus, Gerhartus.**

HEUS, Gerharte!

*G.* Quid vis?

*L.* Aliquis te quærit.

*G.* Quis quærit me?

*L.* Frater tuus.

*G.* Ubi est ipse?

*L.* Pro fóribus[1] te exspectat.

*G.* Certone scis meum esse fratrem?

*L.* Quidni sciam? Vidi eum et sum eum alloquutus.[2]

*G.* Ibo, sane, visum, quid rei sit.

1. **Pro foribus,** est idem ac **præ** foribus, ante ostium, ante ianuam, **portam.**

2. Non pauci scriptores **qu** in locis similibus retinendum putant, quandoquidem verbum est **loquor.** Sic exprimi iussimus ut hoc principium doceremus. Qui sic scribere velint, licet; non est error.

---

# COLLOQUIUM XXI.

ARGUMENTUM: *Præceptum, quo patrem et matrem venerari iubemur, cuncta fere præcepta quæ nos obligant, complectitur. Simultates vitandæ sunt.*

**Puteanus, Vitactus.**

NESCIS vétitum esse, ne inter nos submisse[1] loquamur?

*V.* Quidni sciam? quum præceptor eius rei causas nobis tam frequenter inculcet?

*P.* Eccur tamen peccabas contra id hoc ipso instante?[2]

*V.* Quia *Isaias* ita me cœperat álloqui.

*P.* Quid tum? admonere debebas eum, non imitari.

*V.* Debebam, fortasse; sed tunc non mihi in mentem veniebat.

*P.* Níhilo tamen sécius notandus es.

*V.* Mínime verò, nisi tu ipso præceptore servérior esse velis.

*P.* Dic mihi eius rei causam.

*V.* Causa est, quod præceptor vetat quémpiam notari, qui delictum suum sponte sua agnoscat; modò ne eiúsmodi quid patratum fúerit, quod præcepto Divino interdictum sit.

*P.* Nonne præceptum Divinum est ut paréntibus obtemperemus?

*V.* Profecto, illud quintum[3] est *Decâlogi* præceptum.

*P.* Atqui, ut in *Catechismo* docemur, præceptum illud látius patet. Nam *parentum* nómine præceptores ac magistratus quoque, item, omnes dénique, quibus voluntas Divina nos subiécerat, complectendos esse iubet.

*V.* Non équidem nego vera esse quæ mémoras, sed præceptorem consúlere, quam tecum disputare malo; alióquin in máius malum me indúceres, quod est peccatum contentionis, a præceptore servérius vétitum.

*P.* Æquum dicis; memíneris ígitur id in mentem præceptoris, quum rationes a nobis éxiget, revocare.

*V.* Noli putare me eius rei immémorem fore: præsertim quum res agatur mea.

1. **Submisse,** submissa voce, leni, non elata et alta; vox submissa est **susurrus,** vox autem alta et elata est **clamor.** Adv. **submisse,** nostrum vocabulum; **susurratim** est etiam Latinum, sequioris ævi.

2. **Instans, tis,** verbum grammaticorum est, atque sequioris Latinitatis, sed admodum necessarium, si longas periphrases evitare velimus.

3. Est factiosa contentio. In *Atheres Hadibros*, seu *Decem Verbis* (Decem Præceptis, *Decálogo*) Hebræorum unus versus divisus est, quo fit, ut critici præceptum hoc *quintum* ponant, Hieronymus autem in Vulgata quartum appellat. Hoc "nodum quærere est in scirpo," seu de nihilo disputare. Sive quintum sive quartum id voces, est idem præceptum.

---

## COLLOQUIUM XXII.

ARGUMENTUM: *Curiosi continenter nova audire scireque cupiunt.*

**Rossetus, Ferrérius.**

UNDE venis?

*F.* De foro.

*R.* Quid illic novi audisti ?

*F.* Nihil.

*R.* Revera nihil?

*F.* Prorsus nihil.

*R.* Mirum mihi videtur, quod nec de bello, nec de cæteris rebus in Gállia quidquam audíveris.

*F.* De rebus, quæ nihil ad me pértinent, sciscitari non sóleo.

*R.* Esto ut dicis; nihilo tamen sécius, res variæ vel in tránsitu audiri solent.

*F.* Ne méntiar: nónnihil[1] in tránsitu intellexi.
*R.* Narra mihi, quæso.
*F.* Nunc non est narrandi spátium.[2]
*R.* Cur non?
*F.* Aliò est mihi properandum.
*R.* Quònam?
*F.* Nihil ad te.
*R.* Quando ígitur revises nos, ut istud a te audiamus?
*F.* Post prándium, si per ótium licúerit.
*R.* Fac líceat, te amabo.
*F.* Dabo óperam; sed tu me iusto diútius détines. Vale.

1. **Nónnihil** (non+nihil), áliquid, satis multum.
2. Potest adhibere non de loco tantum, sed etiam de tempore, quum idem valet ac "temporis spátium."

---

## COLLOQUIUM XXIII.

ARGUMENTUM: *De puero, qui contra mandatum præceptoris pira sibi in foro præstinavit.*

**A. B.**

UNDE venis?
*B.* A foro.
*A.* Quis te illuc míserat?
*B.* Mater.
*A.* Quid egisti in foro?
*B.* Emi pyra.[1]
*A.* Nescis nobis vétitum esse ullos fructus émere?
*B.* Quis illud ignoret? nam in aula palam erat edictum.
*A.* Qui ígitur ausus es pyra émere?
*B.* Mater mihi denárium déderat, ut mihi in merendam fructus émerem. Quid mali feci, si matri párui?

1. Utroque modo scribitur tam **pyrum**, quam **pirum**; est fructus *pomis* seu *malis* similis.

# COLLQOUIUM XXIV.

ARGUMENTUM: *De reditu rure.*

**Franciscus, D onysius.**

UBI fuisti his diebus?
*D.* Ruri.
*F.* Quo in loco?
*D.* In villa nostra.
*F.* Quid agebas illic?
*D.* Ministrabam patri.
*F.* Quid vero ille?
*D.* Pastinabat vites nostras.[1]
*F.* Quando illinc redivisti?
*D.* Heri tantum.
*F.* Quid pater?
*D.* Unà mecum reversus est.
*F.* Bene factum; sed quò nunc is?
*D.* Rectà[2] domum.
*F.* Quando répetes ludum litterarium?[3]
*D.* Cras, iuvante Deo, aut summum peréndie.
*F.* Vale ergo ínterim.
*D* Et tu vale, mi Francisce.

1. **Pastino,**[1] **vi, tum, pastino,** vel **ligone** (*-go*, *onis*, m.) laborare, terram fódere, turbare, glebas frangere et comminuere, ut herbæ inutiles eradicentur, sol, aerque ad radices plantarum penetrent, &c. **Vitis, is, f.,** est planta, quæ *uvas* gignit, e quibus fit vinum.
2. **Recta,** scilicet **via,** sine mora.
3. Quando ibis, v. redibis, in scholam?

## COLLQOUIUM XXV.

ARGUMENTUM : *Absenti amico officium gratum præstatur.*

**Fontésius, Curtetus.**

QUANDO est Blásius rediturus ?

*C.* Non certò scio; fortasse die crastino; sed cur istud rogas?

*F.* Quia secum ábstulit catálogum nóminum, præceptor autem irascetur si nemo fúerit qui nómina récitet.

*C.* Relinque mihi istam curam: étenim ego exemplum[1] catálogi hábeo.

*F.* Recitabis ígitur ?

*C.* Recitabo.

*F.* Bene fácies; Blásius noster, si qua occásio se obtúlerit, summam tibi habebit grátiam.

1. **Exemplum,** exemplar áliud, cópiam.

---

## COLLOQUIUM XXVI.

ARGUMENTUM : *Duo socii usu atque syntaxi vocabuli* domus *sese exercent, tum álias res pertractant. Nec quidquam boni fit sine voluntate Divina.*

**Garbinus, Furnárius.**

QUOD est tibi domicilium?

*F.* Domus paterna.

*G.* Unde nunc venis?

*F.* Domo.

*G.* Ubi prandisti?

*F.* Domi.

*G.* Ubi cœnabis hac véspera?

*F.* Domi vestræ, ut spero.

*G.* Qui scis?

*F.* Pater ipse tuus hodie me invitavit.

*G.* Ubi illum vidisti?
*F.* Domi *Varronis.*[1]
*G.* Quid ibi erat tibi negótii?
*F.* Pater me nuntiatum áliquid illuc míserat.
*G.* Scire étiam velim, ubi sis nocte hac dormiturus.
*F.* Domi, frátris.
*G.* Quid negótii est tibi apud fratrem?
*F.* Sorori meæ dicebat se per ótium me convenire velle.
*G.* In qua domo hábitat ipse?
*F.* In conductítia[2] quadam.
*G.* Eheu, nullamne habet domum própriam?
*F.* Habet quidem, sed eam quibusdam inquilinis locat.
*G.* Locat igitur domum própriam, conducit vero alienam.
*F.* Ita scilicet, ut ex me audis.
*G.* Quanti locat?
*F.* Octódecim aureis Itálicis, quos modo *Pistoletos*[3] vocant.
*G.* Cur non pótius inhábitat eam?

*F.* Quia sita non est in loco satis cómmodo, ut ita loquar, negotioso.

*G.* Et quanti conducit illam alienam?
*F.* Longe pluris.
*G.* Quanti ígitur?
*F.* Quinque et virginti.
*G.* Cara est habitátio.
*F.* Imo, caríssima; sed quid agas? Commoditas loci id facit.

*G.* Age, ut aliquando tandem finiamus; dic precor, scisne ubi cras futurus sis?

*F.* Revertar domum, ut inde me in scholam cónferam, si quidem Dóminus[4] permíserit.

*G.* Cur addis "si Dominus permíserit?"
*F.* Quia nisi permissu Dei, ne domo quidem exire possemus.
*G.* Istud a præceptore sæpe audivi.
*F.* Cur ergo rogabas?

*G.* Quia quod bene dictum est, præsertim ubi de rebus Divinis ágitur, nunquam nímium repetítur.

*F.* Istud quoque a præceptore didícimus.

*G.* Verum est, sed tália sæpe repétere, ad memóriam firmandam, multum iuvat.

*F.* Vide quò tua prima interrogátio nos perdúxerit.

*G.* Paucis verbis tecum iocari tantum vólui.

*F.* Age, quóniam ánimum nunc iam satis exercúimus, non vis étiam corpus valetúdinis causa exercere?

*G.* Quidni velim?

*F.* Eamus ígitur lusum pila palmária, nam eo lusu te delectari scio.

*G.* Delector, profecto, sed pilam impræsentiarum non hábeo.

*F.* En tibi; nunc séquere me.

*G.* Libenter te sequar, modo tu me ducas.

1. **Domi Varronis.** Apud Romanos veteres **domus** flecti solebat ad normam *Declinationis Secundæ*, ut **servus**, hinc variæ terminationes **domi, domo, domus** (Dat.) **domis, domuis, domibus, domorum, domuum, domos domuos, domus,** (Acc. Pl.). Declinatio huius vocabuli non est adeo fixa ut grammatici nostri volunt. Distinguimus tamen duplicem usum vocabuli, alterum *adverbialem*, substantivum alterum. *Adverbium* non adeo locum, quam potius *aras et focos*, familiam, domicilium, sedes, significat, substantivum autem locum, ædificium. Quæstiones, quæ casus et terminationes sub utroque capite eliciunt, hic appendimus:

| **Domus**, ut adv. | **Domus**, ut nomen subst. |
|---|---|
| *Ubi?* **domi** | **in domo**, vel **domo** |
| *Quo?* **domum** | **in domum** vel **domum** |
| *Unde?* **domo** | **e (a, de) domo**, raro **domu.** |

Adeoque sic dicemus **domi meæ, domi tuæ, domi suæ, domi nostræ, domi vestræ, domi alienæ, domi fratris, domi Cæsaris,** &c. Aut vero: "**in domo** Cæsaris nunc ego habito;" **in domo** vicina delitescit; "**in domum** vicinam migravit," &c.

2. **Conductitius, a, um,** quod mercede, pecunia, pretio, manupretio, aut vero **locário** condúcitur, quod non est proprium, sed alienum. Sic servus *mercede*, operarius *manuprétio*, domus *locário* condúcitur. Qui habet domum propriam, est **dominus;** qui domum alienam locario conducit, est **inquilinus.**

3. Id genus moneta hodie non noscitur; vocabatur a *Pistoia*, oppido Italico.

4. Vocabulum sensu Hebraico *Adonai* adhibitum; Romanis hoc sensu ignotum. **Dóminus** est is, qui *domum* proprio iure possidet, ut supra; ei opponitur *inquilinus*. Lingua iuridica *dominus* est omnis, qui iure proprietario aliquid possidet. Sub Imperio, circiter a temporibus Domitiani, de Imperatoribus late adhibebatur, tamquam possessoribus Imperii Romani. Romani sequiores, a Iudæis sic docti, hoc vocabulo Deum significant.

---

## COLLOQUIUM XXVII.

ARGUMENTUM: *Creditor pecuniam suam a debitore reposcit. Deus cuncta regit et gubernat, etiam creditores et debitores.*

**Créditor, Débitor.**

QUAM móx[1] exspectas patrem rediturum?

*D.* Intra septimanam.

*C.* Quí scis diem?[2]

*D.* Ipse pater sic ad me scripsit.

*C.* Adventus eius, ut spero, te ditabit.

*D.* *Crœso* ditior ero, si bene nummatus vénerit.

*C.* Tunc mihi mútuum reddes?

*D.* Non est quod dúbites; quin si tibi opus erit ámplius, non modo reddam mútuum, sed étiam réferam grátiam.

*C.* Quómodo, rogo?

*D.* Vicissim tibi mútuum dabo.

*C.* Nihil opus erit, spero.

*D.* At nescis quid accídere possit.

*C.* Tempus brevissimum est.

*D.* Non eò dico ut malum tibi ominari[2] velim.

*C.* Quidquid hómines ominentur, Deus clavum[3] tenet.

*D.* Verum quid cunctamur[4] nos in auditórium recípere?

*C.* Opportune mones.

1. Auctor his verbis est usus: **Quoad** *patris reditum exspectas?* Pessime est. **Quoad** idem est atque **eo usque dum**, veluti: "faciam; *quoad* potero."

"Exspectabo *quoad* potero." *Pron. Interrog.* tamen non est. Nos igitur phrasin Marci Tullii substituimus: **quam mox?** seu quam brevi tempore? Bene tibi hoc notes.

2. **Ominor,[1] atus,** edere augurium, præsagium, signum cœleste, quo Dii homines monere veteribus persuasum erat; præsagire, malum vaticinari.

3. Poetarum phrasi **clavus** gubernaculum navis denotat.

4. **Cunctor,[1] atus,** morari, aliquid tardius facere, quam oporteret.

---

## COLLOQUIUM XXVIII.

ARGUMENTUM: *Diligentia patris docti commendatur, qui proles suas domi instituit. Quibus parentes boni obtigerunt, beneficentiam Dei agnoscere debent. Fratres sumus per fidem in Iesum Christum.*

**Picus, Marcuardus.**

QUANDO redivisti domo?
*M.* Nunc tantum rédeo.
*P.* Ubi est frater?
*M.* Domi mansit.
*P.* Eccur remansit ipse?
*M.* Ut cum matre prandéret.
*P.* Quare non mansisti et tu?
*M.* Ego iam cum patre pránderam.
*P.* Quis ministravit vobis?
*M.* Ancilla, útique.
*P.* Quid Mater? ubi erat ipsa?
*M.* Etiam ipsa erat domi, sed negótiis detinebatur.
*P.* Quibus negótiis?
*M.* Trítico recipiendo, quod nobis advehebatur.
*P.* Quando redibis domum?
*M.* Quum pater me accerset.
*P.* Quo die hoc fiet?
*M.* Fortasse intra quinque dies.
*P.* Cur vos tam sæpe migratis?
*M.* Sic volunt parentes.
*P.* Quid ágitis domi?

*M.* Quod iubemur a paréntibus.

*P.* Verum ea ratione tempus studiorum vobis pessum it.[1]

*M.* Haud omnino.

*P.* Quid ígitur?

*M.* Quóties pater non necessário detinetur, horis subsecivis[2] nos exercet, mane perinde atque ante et post prándium, tum ante cœnam, et sat diuturne post cœnam, non raro ad tempus usque cúbitum[3] eundi.

*P.* Quibus potíssimum rebus vos exercet ?

*M.* Ea a nobis plerumque éxigit, quæ durante hebdómada in schola didiceramus; ínspicit nostra thémata, quæstiones de his instítuit; interdum áliquid Latine vel Græce ad describendum nobis assignat; aliquando senténtias sermone vernáculo nobis proponit Latine vel Græce interpretandas. Postremo, subinde, in multam noctem[4] sic nos exercet Bibliis,[5] præsente tota família *vernácule* legendo.

*P.* Nihilne e *Catechismo*[6] interrogat?

*M.* Id quovis die Solis[7] fácere solet, nisi domo absit.

*P.* Mira narras, si modò vera.

*M.* Imo longe plura vera sunt quam quæ narravi ; ut unum mémorem, civilitatem morum ad mensam, et in omni cum homínibus conversatione,[8] nos páriter[9] docet.

*P.* Cur sumit pater vester in vobis edolandis[10] tantum laborem?

*M.* Partim ut se certiorem reddat nos in disciplinis scholásticis reapse profícere, partim autem, ut si quid in schola intermissum esset, privata indústria repararet.

*P.* Mira hóminis diligéntia, atque ádeo prudéntia. O quam devinctos vos esse oportet Patri cœlesti, qui talem vobis patrem in terra déderat!

*M.* Faxit[11] ille, ut húius cæterorumque eius beneficiorum immémores nunquam simus!

*P.* Bona piaque sunt ista vota;[12] cura ut eadem non in ore modo hábeas, sed, et hoc præsertim, in ánimo,

*M.* Quod me tam sollícite mones, grátiam meam meres.

*P.* Offícium bene monendi debemus ómnibus, frátribus præcípue.

*M.* Quos fratres ínnuis?

*P.* Eos potíssimum fratres hic índico, qui fide in Christum[13] nobis coniuncti sunt.

*M.* Recte iúdicas. Sed nunc visam utrum frater domo tandem revérterit, nam ipse ad cunctandum plus quam satis pronus est.

1. **Pessum ire, pessum dare,** primum neutrum, v. medium, alterum activum transitivum: *in fundum ire*, ut navis, quæ in mari v. in flumine mergitur, desidet, descendit ad fundum, perit. *Pessum dare*, est facere ut res aliqua pereat, sed ita, ut ex eius interitu nihil boni redundet. Qui sine mercede, sine fructu laborat, suas vires *pessum dat*, labor eius *pessum it.*

2. **Subsecivus, a um,** (philologi *subsicivum* volunt), id quod *sub-*, vel *abs*-sectum est e toto; id quod remanet post totum expletum; horæ, quæ post labores diei super sunt; etiam labor, v. opus ultra et supra mensuram; demum, *ager* reliquus; agellus, qui post mensuram supermansit.

3. Dormitum eundi.

4. Tempus post cubitum solis est **crepusculum,** quod **vesper** (v. vespera) excipit; vesper est tempus cœnæ; tum est **nox**; horæ 11-ma, 12-ma (media nox), 1-ma, sunt *multa nox*, est **sero.**

5. **Biblia, orum,** plurale tantum; sunt libri religiosi, sacri, ex usu Christianorum atque Iudæorum.

6. **Catechismus, i,** vocabulum Græcum, post-classicum, ab Aurelio Augustino (obiit 430 p. Chr.) primo adhibitum; est libellus, qui prima principia religionis Christianæ tradit.

7. Nescimus ex quo tempore, Christiani Latini primum diem septimanæ **diem Domini,** v. **diem Dominicam** appellant, reliquos autem **ferias,** seu festa natalitia Sanctorum. Christiani *Romani*, ut alii Romani, **diem Solis** eumdem vocarunt, quem et nos servandum esse volumus.

8. **Conversor, versor,** non est idem ac *colloquor*, *loquor*, nec **conversatio** *collocutio* est, sed actus socialis cum aliis hominibus obeundi, societatem, amicitiam, negotia cum hominibus agendi, quod quum facimus, nos ab uno ad alium convertimus, alicui faciem, alteri tergum vertimus, adeoque **versamur**, seu cum iis **conversamur.**

9. **Pariter,** pari modo, æquali modo, perinde, étiam.

10. **Edolo,**[1] **vi, tum,** verbum vetus, potissimum *M. Terentii Varronis*, derivatur e **dólabra, æ,** quæ est instrumentum rusticum, ad terram duram, vel lapidibus asperam secandam; est etim securis, vel *ascia*, ad truncos arborum (asseres) rotundos in formam quadratam secandum: Figura orationis igitur es a *formando*, *informando*, e rudi et informi in speciosam et formosam convertendo. **Edolare** ergo est **erudire,** informare, expolire, educare, docere.

11. Antiqua forma verbi **fácio,** loco **fáciat, fécerit.**

12. **Voveo,**[2] **vovi, votum,** promitto,spóndeo ritu solemni, aut etiam ex corde opto, cúpio; "in votis habeo," in animo mihi est; **bona vota,** bona proposita, bona animi consilia.

13. Idíoma Hebráicum est. Sermone Romano non dicimus **fides in** ... sed **fidem alicui — habere, facere, præstare,** fidere alicui. Latine ergo dicendum esset: "qui **per** Christum fide nobis iuncti sunt."

---

# COLLQOUIUM XXIX.

ARGUMENTUM: *Quæ sint ad rite scribendum necessaria. Puer bonus non modo attentus est animo, sed etiam placere studet. Charitas Christiana, Spiritus Sanctus auctor huius est. Exemplum diligenter observandum.*

**Mycónius, Petellus.**

SERIONE scribis, an ineptis?

*P.* Equidem scribo sério; cur témpore abúterer? Tu verò cur istud rogas?

*M.* Quia vidi te álias, quum bene scribebas.

*P.* Fit interdum ut mélius scribam.

*M.* Qui ígitur évenit, ut nunc tam male scríbas.

*P.* Nunc mihi desunt bene scribendi adiumenta.

*M.* Quæ tandem?

*P.* Bona charta, nimirum[1], próprium atramentum,[2] probaque penna. Nam hæc mea charta, ut vides, mísere pérfluit; atramentum est aquosum & subálbidum, penna, dénique, mollis et pertrita.

*M.* Cur his ómnibus iam in antecessum[3] non providisti?

*P.* Pecúnia mihi déerat quóminus nova et proba émerem, et étiam nunc deest.

*M.* In illud provérbium vulgare incidisti:
*"Cui deest pecúnia, ei desunt ómnia."*

*P.* Sic, hercle,[4] mecum ágitur.

*M.* Sed, dic, quando speras te pecúniam accepturum?

*P.* Próximis núndinis aut mittet mihi pater, aut verò ipse áfferet.

*M.* Ego intérea te adiuvabo.

*P.* Siquidem id possis, magno me benefício afféceris.

*M.* Accipe hunc quadrantem mutuo, ad chartam cæteraque comparandum.

*P.* Quam verè est illud dictum: *"Amicus certus in re incerta cernitur!"* Sed quid te impellit, ut mihi ultro tam benigne fácias?

*M.* Illa charitas Divina, quæ, ut *Paulus* ait, infusa est córdibus nostris.

*P.* Mira est vis Spiritus Divini, qui huius charitatis auctor est. Cæterum cogitandum mihi est, quemadmodum tibi dignas grátias réferam.

*M.* Res exígua est; mitte cogitationem istam, ne impédiat quóminus in utramvis aurem dormire possis; tunc demum reddes mutuum, quum salvo tuo cómmodo póteris.

*P.* Reddam propédiem,[5] ut spero.

*M.* Eamus nunc ad precationem, ne notam incurramus.

*P.* Unum adhuc addas, rogo.

*M.* Quid ínnuis?

*P.* Ne scilicet hódie incœnati dormitum ire iubeamur.

*M.* Ha, ha, ha!

1. **Nimirum**, *adv.* nisi mirum videatur, ut est manifestum, quod perspicuum est.

2. **Atramentum**, est res, qua aliquid **atrum** (-**er, tra, um**) seu *nigrum* facimus; est tinctura nigra qua scribimus; si sit rubra, viridis, aut cerulea, non *atramentum*, sed tincturam vocamus, adiecto coloris nomine. **Proprium** atramentum est id, quod est aptum, idoneum; **subalbidum** est pæne album, albicans, non satis nigrum.

3. Iam **antea.**
4. Per Herculem, invoco Herculem, testem meæ veracitatis.
5. Brevi, intra paucos dies.

---

## COLLOQUIUM XXX.

ARGUMENTUM: *Puer adolescentior se minorem de officiis admonet. De ope præbenda. De precibus. De primis puerorum officiis matutinis postquam surrexerint. Beneficia succursusque Divinus agnoscenda sunt. Fides Deo habita neminem unquam fallit. Philosophi quoque Ethnici plurima docuerunt, quæ præceptis Divinis ex omni parte consentanea sunt.*

**Velusatus, Stéphanus.**

QUOTA hora surrexisti hódie?

*S.* Paulo ante quintam.

*V.* Quis te expérgefécit.

*S.* Nemo.

*V.* Etiamne cæteri iam surrexerunt?

*S.* Nondum.

*V.* Non illos excitatum ivisti?

*S.* Non ivi.

*V.* Eccur non?

*S.* Quóniam eam rem ad me pertinere non putabam.

*V.* An illi non te subinde éxcitant?

*S.* Imo plus semel.

*V.* Debebas igitur simíliter fácere.

*S.* Fortasse, sed non expedire autumabam.

*V.* Memento tamen ut posthac sic fácias.

*S.* Fáciam quum mihi sic iussum fúerit.

*V.* Sed quid tu faciebas ex quo e lecto surrexisti?

*S.* Primum, útique, offícium meum erga Patrem cœlestem persolvi, preces recitando matutinas.

*V.* Factum bene; quid dein?

*S.* Deinde amixi[1] me, curavique quod ad ornatum[2] spectat, ut essem corpore mundo, ut quemquam ingenuum decet, postremò, ad stúdia sólita me cóntuli.

*V.* Si sic omnem vitam tuam institúeris, ne dúbites quin Deus stúdia tua próspera facturus sit.

*S.* Sic et hactenus comperiebar, nec me, pro sua bonitate, ut spero, in futuro quoque derelinquet.

*V.* Recte iúdicas, nec ille spem tuam frustrabit.

*S.* Anno superiore e *Catone* hæc didici:

*" Spem retine, spes una hominem nec morte relinquit.*

*V.* Quod hoc mente retinúeras, bene fecisti: est enim senténtia egrégia, nec Christiano indigna.

*S.* Atqui auctor eius Christianus non fuit.

*V.* Hoc útique notissimum est.

*S.* Unde ígitur cóntigit ei tam pulchras senténtias condidisse?

*V.* Præsertim e Philosophia Ethnica.[3] Nam et Philosophi Ethnici, afflatu Divino illuminati, plúrima docuerunt quæ verbo Dei consentánea sunt, quod et tibi aliquando perspícuum erit, quum scripta veterum Philosóphica, ipse adúltior, cum stúdio légeris.

*S.* Mihi certe in propósito est ea stúdia prósequi, dúmmodo Deus vitæ patris mei sit propitius.

*V.* Vide ut id sollícitis précibus a Deo impetres.

*S.* Nullus præterit dies quin íd fáciam.

*V.* Si pietate in parentes sic perseveras, Deus largietur, ut spei compos[4] fias.

*S.* Quod sic me spe érigis, gratíssimum mihi est; nec me offício defuturum verearis. Cæterum étiam confido tuam in amicum pietatem Deo non minus gratam esse.

1. **Amicio,[4] cui (-xi) ctum,** *proprie*, vestem aliquam circa collum, aut lumbos circumiicere, leviter corpori circúmdare; *in genere*, se vestire, vestes sibi imponere, se indúere.

2. **Ornatus, us,** *m.*, ex **orno[1], vi tum,** se præparare, aptare, se rei v. personæ accommodare; id omne quod personam aut rem aptam, paratam cunctis necessariis instructam reddit. Hic puta: faciem ac manus lavare, crines concinnare, vestes, calceos repurgare, &c.

3. **Ethnicus, a, um,** atque **ethnicus, i,** est vocabulum Græcum, e *Vulgata,* et ex *Tertulliano,* significat Romanum, Græcum. v. quemlibet, qui Christianus iis temporibus non erat, non tamen Iudæum; **Philosophia Ethnica,** Philosophia Græca, v. Romana, non Christiana, popularis, vulgaris, nationalis.

4. Quod speras, assequaris.

---

## COLLOQUIUM XXXI.

ARGUMENTUM: *Exemplum hic exhibetur mutuæ inter pueros reprehensionis.*

**Domínicus Barrásius.**

UBI sunt iuglandes tuæ?

*B.* Quas iuglandes mémoras?

*D.* Quas hódie præmio accepisti.

*B.* Ubi sint, rogas? — quasi verò mihi ad servandum datæ sint.

*D.* Non hæc significare vólui, sed quærere quid tu de iis féceris.

*B.* Comedi eas, pro merenda.

*D.* Comedisti? O te míserum! Cur eas non pótius ad ludendum conservasti?

*B.* Sátius iudicabam eas comédere, quam lusu periclitari.[1]

*D.* Iacturam[2] ómnium certe non fecisses.

*B.* Duodenas tantum hábui; fácile cunctas pérdere póteram.

*D.* At fortuna vária et mutábilis est; perinde póteras centenas, vel ducenas[3] et ultra lucrari.

*B.* Præstat perículum non fácere.[4]

*D.* Quid ergo? In omni vita fortuna iactamur, et utram in partem álea[5] se vertat, incertum est. Necesse est Philósophum in utramque partem paratum se præstare, et res tam secundas quam adversas æquo ferre ánimo.

*B.* Hæc doctrina sapientiæ mihi placet ádmodum; sórtibus[6] tamen ludendi peritus non sum.

*D.* Abi! Aleam vitæ effúgere non póteris; discrímina vitæ eius géneris fere in omnes hómines supervéniunt, in quibus si ausus non fúeris, naufrágium[7] fácies, nam pervulgatum est illud: *"Audaces fortuna iuvat."*

*B.* Nemo tamen est pénitus suæ fortunæ auctor, tametsi néscius non sim véteras docuisse *'quemquem suæ fortunæ fabrum esse;'* sed étiam verum esse árbitror illud pervulgatum: *"Homo proponit, Deus disponit."* Cæterum nec áleis ditari[8] cúpio.

*D.* Tum álium oportet ut collusorem quæram.

*B.* Plane non te impédiam; áttamen exspecta parumper.

*D.* Quid a me vis?

*B.* Quid est, dic mihi, quod tu hic *sortem* appellasti?

*D.* *Sors*, seu *fors*, est ipsa fortuna.

*B.* Quid verò est *fortuna?*

*D.* Opínio stultorum est.

*B.* Ecquid opinantur stulti de fortuna?

*D.* Nunc mihi non vacat hac de re tibi respondere, sed vide adnotationem præceptoris ad hunc locum *Catonis.*

*B.* Ad quem locum?

*D.* Ad versículum qui sic sonat:

*"Indulget Fortuna malis, ut lædere possit."*

*B.* Mea quidem senténtia, quid fortuna sit, tu non ignoras.

*D.* Unum quidem satis certe scio, fortunam nimirum nihil esse.

*B.* Cur ergo volebas ut ego me fortunæ confíderem?

*D.* Incauto mihi, moreque Ethnicorum dicendi assueto, vocábulum éxcidit. Nam quum tam in opéribus Classicorum, quam in ore fere ómnium vocábulum hoc perpétuo versetur, nec me eo deceptum esse tibi mirum videri debet.

*B.* Nec ego profecto id mirum puto. Modum enim loquendi hoc éxprimit, hóminibus in omni ævo communem.

*D.* Verum, *Barrasi* mi, hæc et tália memorasse fórsitan étiam suffíciet, ne rei ad tædium immoremur. Iam ego étenim

de ludendo sério cogitare cœpi. Prius tamen quam de hoc statuamus, unum te monere volo.

*B.* Fac ut sciam quid id sit.

*D.* Nonne tu dicebas paulo ante, fortunam váriam et mutábilem esse?

*B.* Sic dixi; an non verum est?

*D.* Est quidem verum, sed quum te Philósophum tam expertum non putarem, de auctore et fonte verborum tuorum volebam cértior fíeri.

*B.* Verba, ni fallor, *Maronis* sunt, qui de indole mulíebri canit:

" — — — — *varium et mutabile semper Fœmina.*"

*D.* O te ióculum. Iam te post hæc non, tentabo. Cæterum velim ne ex his quidquam succénseas, bono enim ánimo hæc dicta esse intélligas.

*B.* Nihil est quod verearis. Nec enim tu quidquam memorabas quod ego succénseam, nec ego sum memor dicti cuiusquam quod tu ægre ferre possis.

*D.* Nunc ergo áliquid de ludendo statuamus, nisi tibi hic ótio torpéscere sátius videatur.

*B.* Mínime géntium! Nunc mecum vólvito quo potíssimum lusu nos recreare possimus.

*D.* Quasi vero diuturna meditatione opus sit. Agedum, sequere me; ego dabo tibi mútuo áliquot iuglandes.

*B.* Agis amicíssime. Sed dic, quæso, quando tibi mútuum reddam?

*D.* Si ócyus non póteris, Calendis Græcis.[9]

1. **Periclitor,**[1] **atus,** fortunam experior, expono periculo.

2. **Iactura, æ,** *proprie* id est quod e navi, tempore tempestatis, ne ipsa mergatur, in mare **iacitur**, eiicitur; *in genere,* omne *damnum*, e rebus perditis v. amissis; *iacturam facere, ferre,* damnum sustinere, accipere.

3. **Ducenas,** *adi.* e "*ducenti, æ, a,*" quasi "circiter ducenta," numerus non certus.

4. **Periculum fácere,** tentare fortunam.

5. **Alea, æ,** est instrumentum lusorium quadratum ex osse, ex cuius lapsu fortuna decernitur. Qui pecuniam sic merentur, vel sic quæstum faciunt, omnes **aleatores** vocamus, qui homines non honesti sed infames existimantur.

6. **Sors, sortis,** f., est id, quod cuique in hac vita, velut sua pars, obvenit. Qui pauper natus est, sua **sors** est paupertas; est **fors, fortuna, fatum, casus, casus fortuitus.** Qui *alea* (ut supra), qui *chartifoliis*, qui e *cursu equorum*, e suffragiis popularibus, aut e quocunque lusu pecuniam lucrari tentant, **sorte ludunt.** In Europa sunt societates publicæ, quæ sortes millenis pauperculis vendunt, e quibus *unus* allegatur, *sua* sorte lecta, magnam vim pecuniæ lucrari. Sortes hæ sunt inhonestæ. Sortes honestæ habentur consortiorum, quæ argentarias, fabricas, ferrovias *sortibus* condunt, quæ sortes stato valore ac pretio pollent, venales aliquando (pretio) **pari,** aliquando carius (præmio), alias vilioris (iactura). At aleatores in "basilicis" his quoque sortibus ludunt, qui ludi "cambia" appellantur.

7. **Naufrágium, ii,** fractio navis, interitus, perditio, lapsus.

8. Dives fieri.

N. B. Hactenus maior pars colloquii de novo scripta est; CORDERIUS enim nobis admodum "dormitavisse" videbatur, nec perinde a se scripta digna arbitrabamur, quæ lectoribus hodiernis præponi præsumantur.

9. Est iocus Romanus. Quandoquidem Græcis **nullæ** fuerint **calendæ,** ut terminus figi non poterant; adeoque qui calendis Græcis debitum soluturus esset, solveret nunquam.—Quum nostri Græculi Kalendas affectant loco Calendarum, nugantur. Litteræ **K** in alphabeto Romano inde a temporibus Classicis prorsus nullus est usus. Iam *Quintilianus* eam omittere voluit, quod **C** omnino idem valeret. Alioquin **K** semper scribendum esset quoties **a** vel **æ** sequeretur, uti: Kalamitas, Kanis, Kapio, Kæpa, Kædo. Nugas respuimus.

---

# COLLOQUIUM XXXII.

ARGUMENTUM: *Quidam puer, quum officio scribendi urgeretur, pensum repetere negat. Præstare docemur tempus aliquando lusui subducere, idque ad discendum convertere. Exemplum pueri lusui nimium addicti.*

**H. I.**

IACOBE!

*I.* Quid vis?

*H.* Veni ad pensum repetendum.

*I.* Non est mihi ótium.

*H.* Quid habes negótii?

*I.* Scribendum mihi est.

*H.* Quid est tibi scribendum?

*I.* Dictata præceptoris.

*H.* Cur ea heri non scripsisti?

*I.* Quo témpore scripsissem?

*H.* Quum ludebatur.

*I.* Nolebam occasionem ludendi amittere.

*H.* Ah, pigrum te! Tu nihil áliud quam lusiones meditaris. An diebus Mercúrii atque Saturni non ternis integris horis vacat?

*I.* Vacat quidem, óptime novi, sed horæ illæ ad ludendum sunt concessæ, datæ et destinatæ.

*H.* Vehementur erras. Horæ illæ non pro *solo* lusu sunt statutæ, sed partim honestæ cuílibet remissioni,[1] partim verò stúdio litterário sunt dicatæ.

*I.* Concedo, pro iis dumtaxat[2] qui stúdiis immorari ament.

*H.* Non póteras heri ludo tuo sesquihoram aut saltem únicam detráhere?

*I.* Tu stude quantum voles; ego ultro ludam quámdiu licebit.

*H.* Per me quidem licebit, sed si sic féceris in litteris certe parum proféceris.

*I.* An præceptori non satisfácio?

*H.* Satisfacis, utcunque.[3]

*I.* Tu igitur studiose,[4] vis ipso præceptore exáctior esse? Quidquid tu velis aut nolis, cura tua negótia, sine me![5]

*H.* Fac ut libet, te sinam.

1. **Remissio, nis,** *f.*, relaxatio.

2. **Dumtaxat,** saltem, hoc tantum, saltem quod — adtinet. **Immorari** (in+moror), tempus impendere.

3. Quomodocunque, uno modo vel alio, qui dubio non caret.

4. Per sarcasmum dictum.

5. Corderius: "Omitte me," quod non est Romanum; Terentius: "Sine me," hoc est, noli me vexare, turbare.

# COLLOQUIUM XXXIII.

ARGUMENTUM: *Puer malus consilium boni respuit. Docemur scientias bonum inæstimabile esse. De misericordia. Res secundas haud paucis perditioni esse. Opes dona Dei esse. Dona virtutum ac scientiarum. Præstantia animi boni.*

**Rufus, Castrensis.**

QUANDO redibis in scholam?

*C.* Nondum certò scio.

*R.* Cur patrem hac de re non cónsulis?

*C.* Quid? putas me hoc curare?

*R.* Parum admodum, ut mihi videtur.

*C.* Rectissime iúdicas.

*R.* Satis palam est lítteras te aversari.

*C.* Equidem scio légere, scríbere, loqui Latine, saltem mediócriter, quid, hercle, opus est ut me tantis sciéntiis fárciam?[1]

*R.* O miserum adolescentem! Siccine rem inæstimabilem flocci[2] pendis?

*C.* Quid sic vociferaris? — Eccur tibi tam miser vídeor?

*R.* Amice, esto bono ánimo! Nullam tibi iniúriam íntuli. Quod enim te mónui, convítium aut contumélia non est; noli verba mea in malam partem accípere. Míseret me tui tantum, quod id vilipendis, quod felicitatem párere, e iudício ómnium sapientum, certum sit.

*C.* Absurdum[3] bláteras. Felicitatem solæ voluptates páriunt, quæ nónnisi ópibus ac divítiis comparari queunt.

*R.* Sic vulgus ignarum et ignóbile putat; et eapropter Providéntia Dei fit, ut hómines eiúsmodi raro, aut nunquam ad divítias evehantur. Si quando id contingit, non vides eos in exítium, in pœnam sui, rúere? Intélligas tandem opes múnera Dei esse, nec ullum hóminem iis beari,[4] nisi qui virtútibus et sapiéntia se et dignos præstiterunt, et ópibus rite utendis aptos et idóneos.

*C.* Tu ígitur contionari gestis,[5] ut mihi videtur.

*R.* Non abs re esset, si id tentarem. Utinam contiones sacras sédulo audivisses, non tibi obfuisset.[6]

*C.* Hem, tu me dire obtundis,[7] num quid áliud est quod velis?

*R.* Nihil, nisi ut Deus te dócili mente, animoque mansueto donet.

*C.* Iis donis præstantissimis nec tu me minus índiges. Vale.

1. **Farcio,[4] farsi, fartum,** aliquid complere, implere re non fluida, ultra mensuram, digitis vel instrumento cogendo, trudendo, paviendo, uti quum anseres saginant, cibum per faucem digito detrudendo; vel tomacla carne comminuta per vim complendo ut tumescant, uti tomacla "Francofurtana," "Bononiensia." Ergo: "Quare farciam me litteris, veluti laniones farciunt tomacla, farcimina?"

2. **Floccus, i,** est lana, v. lanugo, seu pili tenues in corpore humano, v. in fructibus, etiam panni laceri; hinc "flocci facere," flocci péndere," est *vili æstimare*, contémnere, despícere.

3. **Absurdus, a, um,** ab+surdus, a, um, est sonus discors in musica; sonus, qui harmoniam lædit, turbat, dissonus, non consonus, adeoque sermo, loquela, rationi sanæ non congruens, sermo absonus et absurdus, **blaterare,** est loqui, garrire, absurda, stulta, futilia, gerras, nugas.

4. **Beo,[1] vi. tum,** felicem facere; *p. p.* **beatus, a, um.**

5. **Gestio,[4] ivi (ii) itum,** gesticulor, manus iactare in loquendo, dein: aliquid vehementer appetere, hinc: "gestiunt pugni mihi," *h. e.* desiderio certandi uror, ardeo; prurit mihi manus (pugnus).

6. **Obsum, obesse, obfui,** quod est nocivum, adversarium.

7. **Obtundo,[3] óbtudi, obtusum,** quod acutum est, ictibus hebes facere, item, hebeti quodam instrumento aliquid batuere, quatere, verberare, tundere, veluti in mortario per pistillum; *obtúndere aures*, vexare aures musica dissona, stultiloquio.

# COLLOQUIUM XXXIV.

ARGUMENTUM: *Puer quidam admonitus ut se disciplinis litterarum assidue dederet, respondet se incassum admoneri, quod sibi aliæ artes magis placerent. Satius esse docemur quemque ea præsertim prosequi, ad quæ quisque naturali quodam nisu magis trahitur.*

A. B.

MIROR, hercle, quid rei tecum sit, quod tu prope semper otieris, tempus aut garriendo, aut álias ineptiendo teras.

*B.* Ecquid vis fáciam?

*A.* Quid posses præstántius et laudabílius fácere, quam stúdiis litterarum te dédere?

*B.* Cur me tália mones?

*A.* Ob meum tui amorem, proque tuo bono próprio.

*B.* Frustra me hortaris.

*A.* Quid ita?

*B.* Nullum mihi est ingénium in litteras.

*A.* Quid ergo índoli[1] tuæ convenire arbitraris?

*B.* Aliquam artem, vel opifícium ingénio meo magis consentáneum fore séntio,[2] et eiúsmodi quid díscere sátius mihi videretur.

*A.* Iamne tecum quidquam de ea re meditatus es, ut vidéres quænam ars tibi pótior[3] et acceptabílior esset?

*B.* Sane, iam pridem.

*A.* Cur patrem in consílium non assumis?

*B.* Háctenus nunquam sum ausus.

*A.* Ob quam causam?

*B.* Véreor ne in iram eum cóncitem.

*A.* Roga præceptorum ut ipse se interponat.

*B.* Quin, *A.* mi, quum tu fidúcia præceptoris gáudeas, ego autem summa verecúndia ténear, fac præceptorem meis fere verbis certiorem. Faciesne quod te rogo?

*A.* Fáciam prótinus;[4] confide mihi, et hoc libentíssime. Te

enim tam remissum, tamque invita Minerva[5] ágere, unde mihi, citra omnem modum invisum[6] est.

*B.* Grátias tibi, amice *A.*, offícium grátíssimum mihi præstabis.

*A.* Sed tum præceptor te citabit.

*B.* Et ipse id exspecto, nec reformido; tum enim verecúndia[7] depulsa, mentem meam líbere aperire mihi licebit.

*A.* Etiam verum est.

*B.* Fac ígitur ut promissi memíneris; deinde renuntiabis mihi quid ipse de causa mea statúerit.

*A.* Alioquin essem tibi intercessor inútilis.

1. **Indoles, is,** *f.* (in[d]+óleo), quod alicui inest, velut innatum, natura, quod vulgo, sed perperam, *character* vocatur; fere idem atque *ingenium* (in+gigno).

2. **Sentio,**[4] **si, sum,** sentímus partim corpore, partim mente; hinc **sensus** doloris, **sensus** verborum; **sententia** iudicis, **sententia** grammatica.

3. (**Potis, pote,** *adi.* in gradu positivo rarissime) **potior,ius, potissimus, a, um,** — mélius, præstantius, accommodátius, áptius, magis congruum, maioris momenti.

4. **Prótinus,** (pro+tenus, ut hactenus), sine mora, subito, extemplo, actutum, statim.

5. **Invita Minerva,** contra nisum, adversante stimulo, contra proprlam voluntatem, libitum.

6. **Invisus, a, um,** quod videre nolumus, quod dolenter videmus, res naturæ nostræ repugnantes.

7. Qui admodum (valde) **veretur,** est **verecundus.**

---

## COLLQOUIUM XXXV.

ARGUMENTUM: *Socii scholam petentes inter se Latine colloquuntur. Similis simili gaudet. Mores hominum nequam, bonis invisi sunt.*

**Míchael, Frísius.**

SALVE *Frisi!*

*F.* Tu quoque salvus sis *Míchael.* Quota est hora?

*M.* Mox áudies horológium quintam cum dimídio sonare.

*F.* Bene habet; satis mature adérimus.

*M.* Gáudeo me in te incidisse,[1] sic enim cópia[2] nobis est ad Latine colloquendum.

*F.* Idem et ego séntio. Collocútio enim utilíssimum et páriter iucundum exercítium est.

*M.* Quoties in áliquem ex istis dissolutis nebulónibus[3] íncido, rhedárium[4] offendisse mallem. Non enim mihi per illos licet áliquid in via meditari, adeo sunt mores eorum mihi invisi.

*F.* Nihil mirum; nam hi eiúsmodi fere sunt, ut nec loqui quídpiam boni velint, nec auditum ferre.[5]

*M.* Quid cum illis agas quibus nihil est curæ, nisi ut suas libídines[6] expleant?

*F.* Nihil áliud crepunt[7] nisi suas cupédines,[8] et meras compotationes in secretis caupónulis.[9]

*M.* Etiam nobis plenis buccis[10] irrident, quod per vicos Latine loquamur. Illud vero est iam ómnium nequissimum, quod se admoneri a nullo patiuntur.

*F.* Scílicet, ut vates docet, quia '*timor Dei non est ante óculos eorum.*'

*M.* Si quando incípias eos amíce commonere, confestim áudies: 'Déferam te ad præceptorem, vel ad observatorem,' tibi régerent: 'Oh, ego multum curo, fac si audes. Si me accuses, non feres impune.'[11]

*F.* Imo étiam exspectandum ab illis est, ut te, si locus sit ab árbitris semotus,[12] contínuo vérberent.

*M.* Profecto, quum quidam eorum nuper me in recessu áliquo offénderat, infregit mihi in utramque malam duos immanes cólaphos,[13] et contínuo aufugit.

*F.* Quid tu, quæso, intérea?

*M.* Quid istud quæris? tam súbito hoc factum, ut vix hóminem conspéxerim.

*F.* Sed qui tam cito et sensim ad scholam pervénimns?

*M.* Confabulántibus sic fere fíeri solet.

*F.* Age, intremus sine stépitu, ne stúdio intentos turbemus.

1. **Incido,**[3] **incidi, incasum,** (in+cado), incidi **in** aliquem, casu fortuito alicui occurrere, de improviso alicui óbviam fieri, præsertim in fuga, vel aliquem vitando, fugiendo; obvenire, occurrere (ob+currere) alicui necopinato, potius non libenter, sed etiam libenter, ut hic.

2. **Cópia, æ,** abundantia, plenitudo, opes, facultas, occasio.

3. **Nébulo, onis,** homo, qui nébulam, ténebras, obscuritatem quærit, **in**honestus, fúrcifer, nequam, sed etiam mitius: furfur, ventosus, scurra.

4. **Auriga,** homo arte v. statu vili, ignobilis.

5. Tolerare.

6. **Libido, inis,** *f.* v. **lubido,** sonus est Gallicum **u,** seu Germanicum **ü, ut optumus, maxumus,** &c., hinc iam per **i** iam per **u** scribitur, quum Romanis signum intermedium ad sonum hunc significandum nullum fuisset; alias **y** et **i** eodem modo usurpabant eodem fine, hinc **sylva, lacryma, Sylla,** &c., quæ per **ü** Germanicum aptissime exprimuntur, ut: **lübido** (id quod **lübet,** placet, amatur) nulla quæstione recti, iusti, aut honesti.

7. **Crepo,**[3] **ui, itum,** strepo, strepito, clamo, vociferor, non more urbano et polito loquor.

8. **Cupedo, inis,** *f.* fere idem ac *lubido*, sic etiam effertur, *hoc est:* cüpedo.

9 **Caupónula, æ,** est locus ubi vinum aliique potus venduntur, sed ordinis humilioris, ubi vulgus ingurgitat, plebei bacchantur, debacchantur.

10. **Bucca, æ,** sunt malæ, seu genæ (facies utrimque) inflatæ; *os* (oris), per contemptum, ora, mandibula, animálium.

11. **Impunis, e,** impunitus, *adv.*, loco *impuniter.*

12. **Arbiter, tri,** *m.* & *f.*, iudex, quem litigantes ipsi sibi eligunt, "*arbitris semotis*," ubi nemo videt, nemo est testis rei gestæ.

13. **Colaphum infringere,** est palmum (manum apertam) faciei alicuius impingere.

---

# COLLOQUIUM XXXVI.

ARGUMENTUM: *Vestes quas mane indúimus, intérdiu mutandas non esse.*

**Probus, Amículus.**

UNDE adfers istam tunículam?

*A.* Domo.

*P.* Quid vis fácere.

*A.* Volo eam indúere.

*P.* Nunc non est vestes mutandi tempus.

*A.* Quando ígitur?

*P.* Cras mane, quum e lecto surges.

*A.* Recte mones; ergo exspectabo.

---

## COLLOQUIUM XXXVII.

ARGUMENTUM: *Hic de connúbio felici ac prospero ágitur.*

**Antónius, Dániel.**

EUGE, audivi sororem tuam nupsisse.

*D.* Verum audivisti.

*A.* Quis est maritus eius?

*D.* Quidam civis Lugdunensis, ex honestis[1] parentibus progénitus.

*A.* Estne opulentus?

*D.* Sic existimatur. Attamen pater multo pluris facit quod, primum, ipse iuvenis est bene moratus, deinde, quod mente rite cultus, atque bonarum litterarum amantissimus est, ac, dénique, quod pietate, religione, virtutibusque maxime est commendandus.

*A.* Tu sane iuvenem mihi describis ómnibus fere dotibus[2] ánimi ornatum. Certe soror tua felicíssima est prædicanda, quippe quæ tam egrégium sponsum nacta sit.

*D.* Felicem eam rite prædicabis, síquidem felícitas connúbii[3] bonis móribus, animorum mansuetúdine, toleratione mútua præsertim nítitur, quæ índoles magnum Dei benefícium est. Utinam ipsa hoc perspíciat.

*A.* Non dúbito eam perspecturam.

*D.* Id et ego spero; sic étenim e tenérrima iuventute fuit a paréntibus instituta.— Sed nunc iam áliò me vocant negótia doméstica. Vale ergo mi *Antoni!*

*A.* Tu quoque bene vale, chare *Dániel.*

*D.* Num quid áliud a me vis?

*A.* Unum scílicet; ut verbis meis tum patri, tum matri, tum præsertim novæ nuptæ salutem plúrimam dicas, meque illud coniúgium faustíssimum et auspicatíssimum ei gratulari.

*D.* Id fácere, et libentíssime quidem, nequaquam obliviscar.

1. **Honestus, a, um,** honestatus, honore affectus, ingenuus, nobilis, egregius; est plus quam qui tantum non est *inhonestus*.

2. **Dos, dotis**, *f.*, est id, quod pater filiæ, in matrimonium locatæ tribuere solet, munus, donum, præsertim pecunia; latiori sensu: quod natura dat homini instar doni, uti ingenium, facultates animi, quod vulgo (ex Evangeliis) *talenta* appellantur.

3. **Connúbium, ii,** est status viri et mulieris, qui se nubunt; vir enim **ducit** mulíerem, seu nubit mulierem, mulier autem nubit **viro,** alioquin, fit iocus; *h. e.*, qui mulieri nubit, subit mulieris seu uxoris potestatem (iocus poetarum notissimus).

---

## COLLOQUIUM XXXVIII.

ARGUMENTUM : *Hic morum dissimilitatis exemplum præstituitur.*

**Heinrichus, Gerhartus.**

HÓDIE in contione non te vidi; quid hoc sibi vult?

*G.* Utrum hoc quidquam sibi velit, néscio; ego tamen intérfui.

*H.* Narra ergo, mihi quæ memóriæ mandáveris.

*G.* Non est tuum[1] rationem a me exígere.

*H.* Ego quidem non éxigo, verum id rogo, ut memóriæ causa unà conferamus.

*G.* Solus mallem mentem collígere. Audies me, si voles, quum præceptor ante prándium nos interrógabit.

*H.* Quid mali esset si nunc inter nos ea de re conferremus?

*G.* Nihil mali subesse fateor, sed nunc mihi non lubet.

*H.* Tum ígitur libido te regit.

*G.* Sine me, noli me incommodare,

*H.* Esto, non te incommodabo, sed audi sis unum verbum : Púerum tuæ ætatis tam morosum esse non decet.

*G.* Nec púerum tuæ ætatis decet esse tam molestum.

1. **Tuum,** meum, suum, hominis, est, *puta* officium, munus, negotium, videre **ut,** *vel* **ne** . . . Non est tuum **negótium.** . .

---

## COLLOQUIUM XXXIX.

ARGUMENTUM : *Puer probus consilium bonum bono animo accipit, et ei, qui id impertit, gratias reddit.*

**Rúblius, Lepúsculus.**

QUID fecisti régula mea?

*L.* Réliqui eam in pérgula superiore.

*R.* Cur eam ibi reliquisti?

*L.* Oblitus eram.

*R.* Non rectè factum; sed tu sic fere soles, quum quid tibi commodatum sit.

*L.* Pudet me negligéntiæ meæ.

*R.* Nisi mores mutare velis, pœnituisse non súfficit.

*L.* Deum precabor, ut ipse mihi mores mutare velit.

*R.* Deus non mutabit tuos mores sine tua ópera; tu ipse vídeas ut mores mutes, alióquin nemo tibi fidem habebit.

*L.* Scite me monere videris ; grátias tibi hábeo pro consílio tam salubri.

*R.* I nunc régulam meam quæsitum, ea enim, ad líneas in charta ducendas nunc égeo.

*L.* Ibo sine mora.

*R.* Affer eam, quæso, ad me, in cubículum.

*L.* Mox eam habebis.

## COLLOQUIUM XL.

ARGUMENTUM: *Monentem monitus arguit. Cavendum esse ne quis suspiciosus esset, et eapropter animo perpetuo turbatus, quod mors semper prope esset, quæ timidis et suspiciosis valde conveniret.*

**Emerichus, Baldus.**

CUR tu per te solus rides?

*B.* Quid tua?

*E.* Quia fortasse me rides.

*B.* Unde tibi orta est ista suspício?

*E.* Quia tu malus es.

*B.* Omnes quidem mali sumus, sed ego te peior non sum. Nemo ígitur ridet nisi aliquem irrideat?

*E.* Non sic intélligo; sed qui per se solus ridet, ut hoc sæpe dictum audivi, aut stultus est, aut áliquid mali cógitat.

*B.* Cuius ista senténtia sit, néscio; sed cuiuscunque sit, non est ex omni parte vera. Nihilóminus admonitionem tuam in bonam partem accípio, teque vicissim móneo, ut suspiciosus esse cáveas. Nam "meticulosis et suspiciosis mors valde cón venit," ut cármina nostra morália nos docent.

*E.* Sententiæ bene mémini, ideoque mónitum tuum boni cónsulo.

---

## COLLOQUIUM XLI.

ARGUMENTUM: *In aliorum negotia curiose inquirendum non esse.*

**Natháuael, Mercérius.**

UNDE venis?

*M.* Domo.

*N.* Quid ágitur domi vestræ?

*M.* Nihil tua refert.

*N.* Mínime diffíteor mea non referre; verúmtamen non ignoras inter famıliares moris esse sic in mutuam vicem sciscitari, perinde ac si rogemus *'Ut vâleas?' 'Quemâdmodum res vestræ succedant,'* vel ália eius géneris complura.

*M.* Hæc non ignoro; non tamen eo sécius[1] apud omnes bonos cónvenit,[2] de re aliena curiósius percontari non decére.

*N.* Iam conticesco. Attamen, pro ætate te nímium sápere certum est.

*M.* Ex meo nihil dixi; nam quod te monebam, in ore ómnium est.

*N.* Etiam verum esse videtur, nam præceptum illud nec mihi est pénitus ignotum.

*M.* Cur ergo ei non pares?

*N.* Quia commune mihi cum áliis est vítium,[3] quod multa bona et pulchra audita teneamus, quæ tamen puncto témporis máxime opportuno memóriam fallunt.

*M.* Hæc profecto egrégie dicta, incassum te tamen purgare[4] tentas, nam te percontatorem esse, fama est, quod non sine causa tibi vitio datur.[5]

*N.* Primum abs te áudio. Fortasse iuste reus[6] culpæ eius arguor. Quidquid sit, grátias tibi hábeo me coram exprobrasse. Vicissim curæ mihi futurum tibi pollíceor, ne quis me posthac reum eiusdem culpæ deprehendat.

*M.* Hoc ingénue dicis et facis; illo THALETIS *'Nosce te ipsum'* sapiéntius præceptum est nihil.

1. **Sécius,** (**secus, sequior, séquius** v. **sécius**), *adv.;* **séquior, oris,** *adi.*, quod non est primum, sed *séquitur*, minus est primum, magis sequens, est *séquius, séquior*, inférius, minus bonum, **sexus sequior,** est *sexus mulíebris.* Latinitas *sequior, h. e.*, inferioris ætatis, non Augustana. *Nihilo sécius*, = eo non obstante, tamen, tamen usque.

2. **Cónvenit, ire,** *impersonale*, omnes homines boni concedunt, nemo negat; etiam: aptum est, dignum est, decet, quadrat.

3. **Vítium, ii,** non est ac *peccatum, scelus, nefas, flagitium*, sed præsertim defectus naturalis, aut defectus corporis, aut mentis per accidens; sic *vitium oculorum*, si lumen oculorum læsum sit, culpa, defectus,

4. **Purgo,**[1] **vi, tum**, mundo, sordes tollo, elímino, lavando, radendo, scalpendo, v. quocunque modo delendo; qui nequitiæ, criminis, culpæ, &c., arguitur, v. accusatur, et suam culpam extenuare, aut negare, quasi eluere tentat, *se purgare* dicitur.

5. **Vitio dare, vertere**, actum alicuius (sive iuste, sive iniuste) velut malum interpretari, malum succensere, et ei imputare.

6. **Reus, i**, est is (proprio sensu) qui rem malam commisisse per sententiam iudicis, aut ex propria fassione, existimatur, qui rem patravit.

---

## COLLOQUIUM XLII.

ARGUMENTUM: *Monita ad mores civiliores spectantia.*

**Humbertus, Piantinus.**

HEUS tu, præceptor adest.

*P.* Quid tum?

*H.* Vultum ad eum converte.

*P.* Quare?

*H.* Rogas? útique ut caput détegas, eumque venientem more civili et urbano salutes.

*P.* Recte doces; sic fíeri oportet; sed, ut passim áccidit, res áliæ mihi in mente versabantur.

*H.* Sile nunc!

---

## COLLOQUIUM XLIII.

ARGUMENTUM: *De cœli temperie. Linguam Latinam colloquendo et institutione exerceri. Quæ verba sint otiosa reputanda. De docilitate.*

**Pontanus, Marcus.**

UNDE redis?

*M.* Foris.

*P.* Cur foras íveras?

*M.* Ut levendæ vesícæ consúlerem,

*P.* Qualis est cœli aspectus,

*M.* Est nebulosus.

*P.* Non régelat?[1]

*M.* Gelu iam solvi[2] íncipit, quóniam nives sensim liquescunt.

*P.* Anne pluit étiam?

*M.* Sensi revera superne gúttulas destillare.[3]

*P.* Fortasse e stillicídio[4] tecti, quum subter præteríveras.

*M.* Imo e núbibus; nam sub dio[5] constitutus cómperi; quodsi tamen dúbites, visum ipse prodi.

*P.* Quasi vero tibi in re tantilla non credam.

*M.* Tamen dubitabundus es.

*P.* Ut te plúrimis verbis disputare cogam.

*M.* Quorsum id pértinet?[6]

*P.* Ad Latinum sermonem exercendum.

*M.* Verúmtamen ea re auctor eris[7] ut plúrima verba otiosa spargamus, quod tamen fácere præceptis morum religionis Christianæ vetamur et prohibemur.

*P.* A vera mente præcepti toto cœlo abes.[8]

*M.* Me ergo ignorare putas quid *"verba otiosa"* sensu Christiano signíficent?

*P.* Sic profecto. 'Otiosus sermo' enim non est qui ad institutionem áliquam refertur, præsertim ubi de rebus bonis et honestis ágitur, véluti de opéribus Dei, quæ in rebus naturálibus cernuntur.

*M.* Recte sentire videris, proinde fácile tibi asséntior.

*P.* Sed hæc háctenus.[9] Nunc nobis áliud negótium instat.

*M.* Age, ígitur, desinamus.

1. **Régelo,**[1] **vi, tum,** (retro + gelo) postquam aqua frigore in glaciem *con*gelata est, calore *re*gelat.

2. **Solvo,**[3] **vi, utum;** sólvimus id, quod est ligatum, constrictum; vincula solvere; qui pecuniam debet, debito *ob*ligatus est, quum autem se liberare vult, debitum, pecuniam dando, *solvit*; adeoque **solvere** etiam significat *pecuniam dare.*

3. **Destillo,**[1] **vi, tum,** *verb. act.* et *neutr.*, stillas, guttas, demittere, stillare velut sudor, v. aqua, per guttas defluit, manat.

4. **Stilicidium, i,** (stilla + cado) est ora, seu extremitas tecti, unde pluvia guttatim decidit. **Imbrex, icis,** *f.*, ea res est, quæ aquas pluviæ in tectis colligit, atque in **clóacam** deducit.

5. **Dium, i**, (divum) ubi nullum est tectum, vocatur *dium*, hoc est, sub cœlo, in sole; sub dio dormire, sub cœlo, foris, non sub tecto dormire.

6. Quo id spectat? quid hoc sibi vult? quo fine id fit? cur hoc facis?

7. **Sum auctor**, a me res exit, ego sum causa.

8. **Toto cœlo**, multum, admodum, plúrimum discrepas a mente præcepti, a sensu verborum.

9. **Háctenus**, usque huc, ad hunc locum, ad hoc punctum usque; *hoc est*: de istis rebus hucusque nos locutus fuisse sufficiat, loquamur de rebus aliis.

---

## COLLOQUIUM XLIV.

ARGUMENTUM: *Puer sermocinando prope erat ut ad cœnam sero veniret.*

**Troilletus, Bolanus.**

SCIN'TU quota sit hora?

*B.* Non certo scio; quota est? óbsecro; véreor ne tempus cœnæ iam instet.

*T.* Hora sexta iam elapsa est.

*B.* Me míserum! Oblitus eram matri parére, quæ me hora sexta domi esse iusserat.

*T.* Tum nihil restat nisi ut præceps prótinus domum curras. Curre ígitur, tuos adhuc inter cœnandum deprehendes.

*B.* Sine ergo ut loquelam abrumpam, meque ut pedes ferre possunt, domum cónferam.

*T.* Habesne véniam domum eundi?

*B.* Nondum, sed en hypodidáscalum mihi óbviam cónspicor, petam ab eo. Vale!

*T.* Felicem réditum!

---

## COLLOQUIUM XLV.

ARGUMENTUM: *Rem inventam domino restitui oportere; quum dominus reperiri possit; ei qui rem invenerit, præmium aliquod competere.*

**Rohlandus, Languinus.**

QUID ais de scalpello, quod tibi núdius tértius émeram, estne satis bonum?

*L.* Imò verò est óptimum. Sed, me míserum, parum ábfuit quin id perdíderim.

*R.* Eho, quid ais? quomodo id áccidit?

*L.* Mihi, foris redeunti, in vico, néscio quo pacto, e sacco éxcidit.

*R.* Cur non servas in theca?

*L.* Si in theca fuisset, cum ea simul excidisset; sacculus, pótius curandus est, scil. pánnulo sarciendus.[1]

*R.* Ecquómodo recuperasti illud?

*L.* Simul ac deprehenderam scalpellum me perdidisse, schédulam valvis[2] iánuæ affixi, cunctos púeros de mea iactura edocens. Statim post prándium unus e *sextanis* me visitavit, scalpellumque mihi restítuit.

*R.* En iúvenem præstantem et ingénuum! Utinam omnes, qui res amissas invéniunt, tam essent fideles et cándidi.[3]

*L.* Pro dolor, pauci profecto sunt, qui res sic inventas, si alícuius sint valoris, dóminis restítuant.

*R.* Et tamen id præceptis Religionis dissertis[4] verbis iubetur et demandatur.[5]

*L.* Quid? Nihil est furto simílius, quam rem alienam inventam, modo dóminus notus sit, tamquam suam retinere.

*R.* Tamen plerique putant quidquid amissum invéniant, id se iure possidére.[6]

*L.* Errant illi turpíssime.

*R.* Verum ut eo, unde digressi sumus redeamus, quid præmii dedisti iúveni, qui scalpellum tuum invénerat?

*L.* Denárium illi obtúleram, prætérea étiam duo mala, sed ipse generoso ánimo quidquam a me accípere rénuit,[7] proinde grátias ei e corde egi, suumque erga me ánimum fidelitatemque enixe laudavi.

*R.* Probe et recte fecisti; sic enim fiet ut et álias semper idem facturus sit. Sed quid si reapse perdidisses.

*L.* Æquo ánimo tulissem, tu verò mihi certe áliud emisses.

*R.* Itane, æquo tulisses ánimo?

*L.* Certe non sine quadam moléstia ac dolore; quid áliud fácere possem?

*R.* Non ergo omnino æquo ánimo; sed nolo te nunc árctius urgére, præsertim quum id factum non sit.

*L.* Cæterum nec sumus Theólogi.

*R.* Quid ergo?

*L.* Nihil nisi grámmatículi.

*R.* Ii quidem imperiti.[8]

*L.* Remédium imperítiæ est stúdium scientiarum, in quibus si profícere cúpimus, præter ingénium naturale unum a nobis exígitur, sédula[9] et perseverans diligéntia. Ténebras inscítiæ lumen doctrinæ fugabit.[10]

*R.* Sed árduum et ásperum ádmodum iter est e ténebris inscítiæ ad celsum fastígium ubi lumen doctrinæ fulget et rútilat.[11]

*L.* Si áliter hoc constitutum esset, sine labore docti essemus; nec in terra montes essent, áquilæ cum músculis[12] in eodem loco habitarent. Ego quidem malo aquilarum more celsa tenere, eoque duro labore, multo sudore et angústia pervenire. — Sed vide quonam amíssio scalpelli mei nos dedúxerit.

*R.* Ob eam rem duplíciter tibi grátulor: primum quod recte tibi émerim, deinde, quod amissum reciperáveris.[13]

*L.* Hábeo tibi grátiam, mi *Rohlande.*

1. **Sarcio,**[4] **si, tum,** est reparare, integrum facere, vestes laceras emendare, fissuræ vel foramini pannulum (frustum panni) adsuere; item, damnum reparare, resarcire.

2. **Valva, æ,** e verbo **volvo,**[3] **volvi, -utum,** id quod volvitur, est ipsa iánua, quæ cardinibus volvitur.

3. **Cándidus, a, um,** est idem quod **albus, a, um,** quod opponitur nigro, atro; candidum est *mundum*, *clarum*, *purum*, *nitidum*, non sordidum, turpe; sic *vestis candida*, alba, munda; *homo candidus*, cui cor est purum, homo probus, honestus.

4. **Dissertus, a, um,** ex *sero,*[3] *sevi*, *satum;* verba disserta, verba distincta, clara, determinata, definita.

5. **Demando,**[1] **vi, tum,** est idem ac *mandare deorsum*, veluti si princeps sive per litteras, edictum, sive per ministros aliquid alicui vel aliquibus imperat, præcipit, iubet, mandat.

6. **Possídeo,**[2] **edi, ssum,** (pono+sedes, sédeo); Festus ait; "Possessio est, ut definit Gallus Ælius, usus quidam agri, aut ædificii, non ipse fundus aut ager." *Possidére* est idem ac tenére, habére. **Possessor,** qui sibi tenet, habet; lingua iuridica is est, qui tenet bona, quæ alter sibi vindicat; qui aliquid iure proprio et indubitato habet, est **dóminus.** Est et aliud verbum, **possído,**[3] **póssedi, ssum,** est *causativum* prioris, estque idem atque in possessionem accipio, occupo, capio, in potestatem redigo.

7. **Rénuo,**[3] **ui,** (velut *adnuo*, ánnuo, ínnuo), caput negando, improbando, non approbando quassare, consensum, assensum negare.

8. **Imperitus, a, um,** (per+eo); **peritus** est, qui *per res ivit*, qui locum peragravit, res comperit, expertus est; **imperitus,** qui idem non fecit, qui rei ignarus est, expertus non est, sine experientia, sine cognitione rei, ignarus, inscius.

9. **Sédulus, a, um** est is, qui ad rem perficiendam *considet*, manetque sedens donec finiat; sedulus est, qui non tergiversatur, non hæsitat, sed operi incepto hæret, diligenter, industriose laborat.

10. **Fugo,**[1] **vi, tum,** *verbum activum*, facere ut aliquis v. aliquid fugiat; *contra*, **fúgio,**[3] **fugi, itum,** *verb. neut.* (sed etiam *act.*), *ego* fugio, aliquis, v. aliquid *me* fugat; victor *fugat* victum, victus *fugit* victorem (vel fugit *a* victore).

11. **Rutilo,**[1] **vi, tum,** facere aliquid *rútilum*, *rufum*, *rubrum;* "rutilare comas," est crines pigmento rubro, rufo, tingere; item, colore rutilo, rubicundo micare, splendére, fulgére, uti aurora, planeta Mars, incendium; verbum poetarum, quo cœlum cœlestiaque lumina describere solent.

12. **Musculus, i,** est mus parvus, sicut *avicula* est avis, *opusculum* est opus, *homuncio* et *homunculus*, homo.

13. **Recípero,**[1] **vi, tum,** sæpe scribitur loco "recupero" estque idem vocabulum. Ut iam superius monueramus, ubi **i** et **u** inter se commutari, sibique in vices substitui queunt, **u** sonum significare Germanici **ü,** Gallici **u.**

# COLLOQUIUM XLVI.

ARGUMENTUM: *De cædendis pennis ad scribendum. Qui pennæ bonæ dignoscantur.*

**Mercárius, Calvinus.**

MIHI non videris nimis occupatus.

*C.* Non *nimis* quidem, sed mediócriter.

*M.* Quid si mihi duas vel tres pennas cæderes?

*C.* Satis árbitror si in præsentia vel unam pro te cæcídero. Novæne sunt eæ?

*M.* Sunt quidem novæ, sed ad cædendum usque paratæ. Ego enim ápicem plúmeum iam præcidi, plúmulas detraxi, caulem[1] étiam scalpsi.

*C.* Ostende. Revera, sunt valde bonæ, et ad scribendum fient aptíssimæ.

*M.* Unde hoc tibi constat?

*C.* Ex caule amplo, firmo et nítido est mihi perspícuum. Nam si pennæ caule sint molles, breves, aut ténues, ad usum accommodari nunquam possunt.

*M.* Bene ígitur me emisse gáudeo.

*C.* Non immérito; sed quanti emisti?

*M.* Pro his tribus dedi quinárium.

*C.* Satis vili emisti.

*M.* Non puto me deceptum.

*C.* Apud quem emisti?

*M.* Apud chartárium[2] *Maxéntium Balbum,* via *Emporética.*

*C.* Propter[3] *Cómpitum Populare?* Novi hominem, eiusque tabernam; locus frequens,[4] ómnibus grátus. In áliis tabernis équidem[5] dúbito eodem prétio æque bonas pennas te præstinare[6] potuisse.

*M.* Níhilo tamen sécius[7] áliqui tabernariorum assérere non verentur res suas Lugduni sibi pluris stare.

*C.* Is enim est mos mangonum[8] ut merces suas lenocínio[9] quodam ac mendáciis subornent, álias enim, ut *M. Túllius* monet, nihil profíciunt.

*M.* Sed nunc cavendum ne te ultérius rémorer,[10] perficiamus ígitur quod suscépimus.

*C.* Nihil est quod verearis. Iam ego hoc cito expédiam, tu verò diligenter animadverte, ut artem meam addiscas.

*M.* Intentis óculis te prósequar, artem tamen tuam tam brevi edíscere posse despero.[11]

*C.* Has res in cubili meo fácere sóleo; adeoque si óperi interesse voles, ibi licet me visas.

*M.* Quo témpore vis te ádeam ?

*C.* Post scholam missam, hoc est, post undécimam, aut verò, si id tibi commódius sit, post quartam pomeridianam.— Cæterum nunc iam habes duas pennas, ni fallor,[12] úsui rectè accommodatas. In præsentiarum hanc tértiam in áliud tempus íntegram tibi servabis.

*M.* Accípias eam tibi, si placet.

*C.* Quin tibi serva. Mihi enim domo tot quot velim afferuntur.

*M.* Ago tibi quantas possum grátias. Vale.

1. **Caulis, is,** *m.*, est stirps cuiuscunque plantæ, uti tritici, præsertim autem ólerum, uti brassicæ, unde varia genera brassicarum nomine generali "caulis" appellantur, hinc est Germanorum **Kohl,** Anglorum **cole** (cole slaw), *Kohl-rabe.* Quidquid ergo stirpi harum plantarum simile videatur, veluti pars firma pennarum, *caulis* vocatur, reliqua pars pluma. Hodie iam *pennis* non scribimus, sed spiculis chalibeis, v. ex aliis metallis in formam ac speciem pennarum paratis, quæ "cauli," vel "calamo," "culmo," seu lignello has species referenti, infigimus.— **Scalpo,[3] psi, ptum,** est superficiem rei alicuius cultro, cælo, v. quocunque instrumento acuto radere, lævigare, hinc *scalpellum.*

2. **Chartarius** est is qui chartam parat, facit, aut vendit; id quod e charta paratur, est **chartaceus, a, um.**

3. **Propter** est idem ac **prope,** non procul.

4. Idem ac *populosus.*

5. **Equidem**, utrum sit **et**+quidem, an **ego**+quidem, non constat, dicimus enim "equidem ego," "tu equidem," certe equidem," quæ asperius ac fortius sonat quam "quidem."

6. **Præstino**,[1] **vi, tum**, aliquid émere, emendo comparare, accipere.

7. **Non secus**, non aliter, **nihilo sécuis**, attamen, "eo non obstante," tamen usque.

8. **Mango, onis**, est mercator, qui merces laudibus effert, subornat, ut aliis meliores videantur.

9. **Lenocínium, i**, hic, est artificium, quo aliquis alium ad emendum perducit, alioquin est occupatio turpis et inhonesta eorum, qui innocentiam et pudicitiam velut merces venditant.

10. **Remoror**,[1] **atus**, *verb. dep.*, *neut. & act.*, morari, cunctari, non procedere; aliquem detinere, distinere, impedíre quominus procedat.

11. Non spero.

12. Nisi errem.

---

# COLLOQUIUM XLVII.

ARGUMENTUM: *Nullam occasionem ad discendum prætereundam esse.*

**Puteanus, Rustículus.**

UNDE veniebas modò?

*R.* E culina.

*P.* Quid illuc iveras?

*R.* Ut me refocillarem.[1]

*P.* Tu, ni fallor, libéntius in culina quam in schola versaris.

*R.* Nihil mirum si sic esset; in culina enim focus, in schola non item.

*P.* Abi; nugaris tantum.

*R.* Non ádeo sum nugis datus ut dígitis nasoque algéntibus ineptire tentem. Cura córporis est primum hóminis offícium.

*P.* Offícium autem hoc te in culinam agit.

*R.* Fuga frígoris, máximi incómmodi, quod mentem hébetat, me ad quærendum locum calore genialem in culinam egit; verúmtamen non sine libro, ut vides.

*P.* Artem fortasse coquináriam discis?

*R.* Sannas[2] non curo. In culina fórmida[3] mélius díscitur quam in schola frígida; nec ídeo discendum non est quod in culina sumus. Iuvat díscere ubique. Cæterum nec artem coquendi despício; sátius exístimo áliquid útile scire quam nescire.

*P.* Quis veritatem dictorum tuorum in dúbium vocare posset? Quin inter nos plane cónvenit[4] nullum esse tempus, nullum locum, quando et ubi, qui velit, áliquid boni et útilis díscere possit.

*R.* Adeoque étiam in culina.

*P.* Etiam in culina.

1. **Refocillo,**[1] **vi, tum,** qui alget (friget, frigus sentit), ad *focum* accedit, ut membra gélida (frigida, algida) tepore, seu calore ignis benefico *re*focillet, calore foveat. Dicimus tamen in genere de quiete capienda, de quocunque levamine a frigore, calore, fame, siti.

2. **Sanna, æ,** derisio, irrisio, illusio.

3. **Fórmidus, a, um,** idem quod Germanicum et Anglicum *warm,* seu *calefactum,* calidum.

4. **Cónvenit,**[4] *impersonale,* seu non negatur, uterque nostrum idem sentit, putat; quisque nostrum concedit, admittit.

---

# COLLOQUIUM XLVIII.

ARGUMENTUM: *Puer aliquis summo desiderio parentum visendorum flagrans, a præceptore detinetur, condiscipuli autem monent eum, ne domum eundo quoddam studiorum intermittat, quæ privata diligentia nunquam reparare possit.*

**Puteanus, Capúsius.**

QUID tecum cógitas, *Capusi?*

*C.* Domum ire magnópere cúpio.

*P.* Quam ob causam?

*C.* Ut his diebus paucis me cum matre mea récreem.

*P.* Quid obstat quóminus voto potiaris?

*C.* Præceptor facultatem eundi negavit.

*P.* Non habes quod succénseas;[1] nam étiam ex mea senténtia, hic permanendo mélius tibi cónsules quam suspicari possis.

*C.* Quid vis verbis tuis significare?

*P.* Nihil ambígui, nisi quod et ipse perspícies. Dum enim tu abfúeris, nos stúdia prosequemur, ita ut quum redires, non sine dolore nos tantum progressos esse intellígeres, ut iacturam témporis vix vel geminato labore et indústria reparari posse sperares. Nonne ánnuis?

*C.* Profecto, rem sic esse non nego.

*P.* Tua ergo ínterest ut nobiscum máneas.

*C.* Quid ergo fáciam, si mihi ipsi iniúriam fácere nolim? Consílio tuo parére dénique sátius mihi videtur.

*P.* Nolo tibi malum suadére prudens.[2] Atque útinam id quod tibi suádeo, próspero eventu tibi succedat.

*C.* Velit Deus sic statúere!

1. **Succénseo,[2] ui,** lexicographi verbum e *sub* et *cendo* (incendo, accendo, succendo) derivandum esse putant, sed perperam; est enim e *sub* et *censeo*, *reputo*, *computo*; aliquid alicui succenseo, est alicui aliquid in acceptis refero, adtribuo, in malam partem; sic, *v. c.*, si quis me negligit, vilipendit, posthabet, quum aliis honorem tribuit, hoc ego ei *succenseo*, actum ægre fero, negatum mihi honorem ei imputo.

2. **Prudens, tis,** *adi.*, loco *adverbii*, sciens et volens.

---

## COLLOQUIUM XLIX

ARGUMENTUM: *Hic obiter mentio fit Providentiæ Divinæ.*

**Martialis, Blancus.**

QUANTUM habes pecúniæ?

*B.* Octo nónnisi libellas; tu verò?

*M.* Ego nec tantum.

*B.* Quantum ígitur?

*M.* Unicum quinárium.

*B.* Visne id mihi in mútuum dare?

*M.* Non possum, opus mihi est.

*B.* In quem usum.

*M.* Ad emendum chartam.

*B.* Fáciam ut hódie reddam.

*M.* Subiúngere debebas: *"Deo iuvante."*

*B.* Præceptor quidem sic docére solet, sed ego hoc assuéscere non pos um.

*M.* Fac te assuefácias.

*B.* Quómodo hoc fáciam?

*M.* Sæpius meditando sic nos a Deo pendére, ut nisi ipse nobis suo auxílio ac succursu adsit, necquidquam boni própriis víribus possimus.

*B.* Consílium máxime Christianum das, piis ómnibus gratum.

*M.* Quale mihi ipsi dari velim.

*B.* Sed, ut ad propósitum redeamus, dabisne mihi istum quinárium mútuò?

*M.* Mirum est te, qui quum plus hábeas quum ego, a me mútuò pétere.

*B.* Est quidem scholásticus hac prætériens, qui librum valde optábilem venum[1] offert.

*M.* Quid tum?

*B.* Cupiebam émere librum, quum sit rarus, nec apud bibliopolas usquam prostat.[2]

*M.* Accipe tum, sed unde, quæso, habebis, ut id ádeo sine mora repéndere possis?

*B.* Simul ac cœnavérimus domum curram, et a matre petam, quæ libenter dabit.

*M.* Quid si mater tua domi non sit, aut dare recuset?

*B.* Eam domi esse scio, nec mihi quum causam intélligit ullam rem recusat.

1. **Venus, us,** venditio, ***venum dare***, ***venum offerre***, est: in ***venditionem*** dare offerre.

2. **Prosto,**[1] **stiti, statum,** veluti **sto pro** . . . pretio; merces prostant, sunt venales, ad vendendum, venum prostant; qui aliquid ad vendendum in foro, in taberna, in fenestra proponit, is eam rem ad vendendum *prostítuit* (pro+statuit); hæc tamen verbi forma iam apud Romanos in sensum obscœnum abiit, nec iam sensu honesto adhibetur.

---

## COLLOQUIUM L.

ARGUMENTUM: *Pueros iam ex tenera ætate lingua Latina exercitari oportere.*

**Montanus, Eusébius,**

QUOT annorum es?

*E.* Sum trédecim, ut a matre accepi,[1] tu verò?

*M.* Equidem ego tot annorum non sum.

*E.* Quot ígitur?

*M.* Uno pauciorum.[2]

*E.* Es ergo duódecim.

*M.* In promptu est rátio.

*E.* Sed quotum annum agit frater tuus?

*M.* Quintum.

*E.* Quid ais?—et iam Latine lóquitur?

*M.* Quid miraris? Quum pater meus Latinitatis amantissimus sit, státuit ut pædagógum Latinitatis doctíssimum condúceret, qui domi nostræ habitaret, contínuo nobiscum versaretur, nec unquam áliter quam Latine nobiscum colloqueretur. Quod plus est, nec cum patre nisi Latine lóquimur.

*E.* Nunquam igitur *vernácule* loquímini?

*M.* Etiam *vernácule* lóquimur inter nos, perinde ac cum matre, cum amicis, peregrinis et cum fámulis. Etiam *vernáculæ* nos doctos et politos esse oportet.

*E.* Etiamne ancillæ vestræ callent Latine?

*M.* Nisi domi suæ discant, nos eas certe non institúimus. Linguæ Latinæ peritos esse doctorum tantum ínterest, nec apud nos tantum, sed apud omnes gentes, ut linguæ hóminum cultorum communis.

*E.* Vera mémoras. Hac præsertim nostra tempestate, quum tot tantæque res, tot negótia, gentes in orbe universas in unam quasi communitatem humanam coniungant et contineant, solos hómines linguarum diversitate seiungi et separari, quum vel belluæ ipsæ se vicissim uniformi quodam sono édito intelligant, tristissimum est.

*M.* Hinc intélliges patris mei sapiéntiam. Ipsi enim persuasum est cunctos hómines cultos bilingues[3] saltem esse oportere, ita ut quisque peritus sit linguæ suæ, nativæ primum, dein linguæ Latinæ, cultorum hóminum in omni mundo universæ. Si quis álias insuper linguas novisse optet, nihil obstare.

*E.* Laudo patris tui sapiéntiam. Sed quid ii fáciant quibus a natura minus docti parentes obtigerunt?

*M.* Scholarum erit defectum sarcire. Omnes scholarum alumnos saltem bilingues fíeri oportebit, ut supra dixi; sciant suam linguam nativam, atque linguam géntium, Latinam; áliis opus non erit; si qui plures callere velint, discant.

*E.* Maximópere placet. Quanta bona inde in totum genus humanum debebunt redundare! Et quam exíguo prétio et labore salus hæc rédimi[4] potest! Quid enim interest qua lingua púeri doceantur? Quacunque lingua tempestive imbuamur, æqua facilitate eam díscimus púeri, æqua difficultate adulti.

*M.* At ego nómina recitari áudio; festinemus in aulam, ne obiurgemur.[5]

1. Comperi, audivi, teneo, traditum habeo.
2. Sum annorum pauciorum, uno (anno); *hoc est:* uno anno sum te minor, tu es trédecim annos natus, ego tantum duódecim, sum uno anno *iúnior.*
3. **Bilinguis, e,** qui duas linguas callet.
4. **Rédimo,[3] redemi, redemptum,** *re-d-emo*, emo retro, de novo, denuo emo; quod in alterius potestatem transiverat pretio soluto, in meam accipio; captivum emo et libero; aliquid in usum meum temporarium, pretio soluto, accipio; emo, procuro, comparo; *v.c.*, iter facturus tesseram viaticam *rédimo;* conduco, &c.
5. **Obiurgo,[1] vi, tum,** hic *pass.*, reprehendo, castigo.

# COLLOQUIUM LI.

ARGUMENTUM: LUDOVICUS *ægrescit*, SYLVIUS *suadet ei ut quiete sibi sublevare tentet; ipse morem gerit.*

**Sylvius, Ludovicus.**

QUID tristaris, *Ludovice?*

*L.* Ægrum me séntio.

*S.* Ex quo morbo laboras?

*L.* Dícere non possum.

*S.* Sed tamen dícere potes utrum grávius affligaris.

*L.* Dolores acutiores non séntio.

*S.* Quid tibi potíssimum dolet?

*L.* Dolor præsertim cápitis me urget.

*S.* Quæ pars cápitis ímprimis?

*L.* Hic (*manu locum tangit*) séntio sánguinem per venas pulsare.

*S.* Intélligo; in sincípite, per tempus lævum; etiamne in vértice?

*L.* Iam non; paulo ante et ibi pulsavit, sed iam cessavit.

*S.* E frígore contracto est. Contraxisti autem frigus stando vel sedendo in meatu áeris, præsertim corpore æstuante.

*L.* Quid ergo fáciam? Si dolor ingravescat, me in insániam aget.

*S.* Bono es ánimo; cave te exæstues, quin pótius compone te, secede e sole, récipe te in cubile tuum, decumbe in grabatum[1] atque obdormi: sopor plácidus te recreabit.

*L.* Optimum consílium, iucundumque remédium. At quî tibi constat me e frígore contracto, non autem lethali[2] quodam morbo ópprimi, quum dolores cápitis non omnes ex eodem fonte sint.

*S.* Recte iúdicas. Dolorum cápitis variæ et diversæ esse possunt causæ, præsertim e stómacho, ex óculis, e fébribus,

quorum indícia declarare, medicorum est. Sed quidquid sit, primum levamen semper quies est.

*L.* Esto; sequar consílium, domum me cónferam, atque quieti me tradam, nisi mater me simulare putáverit.

S. Absit! Id de nulla matre præsumi debet. Præstabit prótinus adire præceptorem, ut rem ei exponas, qui tibi facultatem domum discedendi nullo pacto negabit.

*L.* Fáciam igitur. Scisne eum in officina interesse?

*S.* Paulo ante eum vidi, credo eum ibi natinari.[3] Adi eum cum fidúcia.

*L.* Obsequor; vale!

1. **Grabatus, i (-um, i,)**, est supellex domestica ad cubandum, præsertim interdiu, noctu enim in *lectum* decumbimus; vocatur etiam **sponda, æ,** quæ tamen proprie quadrum lecti est ligneum v. metallicum, cui **spiræ, sisurna, linteamen, lodix, cervical,** atque **pulvini** imponuntur. Sponda lecti, sponda grabati, sunt partes ligneæ v. metallicæ.
2. **Lethalis, e,** mortalis, mortifer.
3. **Natinor[1] atus,** alicui rei intentum esse, re aliqua occupari.

---

## COLLOQUIUM LII.

ARGUMENTUM: *Exemplum hic exhibetur certáminis honesti inter discipulos.*

**Paulus, Timótheus.**

OPTATUS mihi ades, *Timóthee;* anquirebam[1] inter sodales nostros quis eorum mecum concertare vellet, sed quum omnes ad certamen gymnicum[2] discurrant, nullum qui mecum verbis conténdere velit repério; quid tu?

*T.* Quid ego malim quam tecum de studiis amice contendere et disputare?

*P.* Hoc viríliter dictum est, placet. Sed quod argumentum ad concertandum státui vis? Placentne epístolæ *Marci Túllii?*

*T.* Ex mea parte "Disticha" *Catonis* ego epístolis *Túllii* antepono.

*P.* Ob quam causam?

*T.* Eò præsertim quod quum, ut tibi notum, duas íntegras septimanas ægritúdine lecto defixus fuissem, quasdam partes epistolarum *Túllii* necessário intermíserim.

*P.* Hoc mémini. Visne ígitur mecum recitandis vérsibus "*Distichorum Moralium*" contendere? Quotum Librum vis elígere, fortasse Secundum?

*T.* Is iusto lóngior est, nec hac hora spátium témporis súppetet ad eum absolvendum.

*P.* Admodum dúbito.

*T.* Integram horam recitando absúmere certe non vis; ínsuper, quum omnes sócii nostri génio indulgent ludendo, num nos hic cármina recitábimus?

*P.* Nolo tibi adversari, nec ab exercítio córporis te arcére, adeoque sumamus *Librum Tértium,* qui brevíssimus est.

*T.* Valet. Restat adhuc ut árbitrum quæramus.

*P.* Hic iam præsto est *Sálomon,* arbitrorum sapientíssimus, qui me eo propósito huc secutus est.

*T.* Etiam placet. Visne ergo, amice *Sálomon*, múnere árbitri fungi?

*S.* Libenter, dúmmodo mihi indicetis quid recitare velitis.

*P.* Amico nostro *Timótheo* Liber Tertius placet "Distichorum Morálium" *Catonis.*

*S.* Nonne vícibus alternis recitabitis "Disticha?"

*T.* Scilicet, uterque nostrum suam partem.

*S.* At púeri, rogo, ne erretis, nolo enim vos ut iudex audire.

*P.* Quare non?

*S.* Ne fortê mea senténtia altéruter amicorum offendatur.

*T.* In qua ígitur re eris nobis adiutor?

*S.* Notabo diligenter in chártula utriusque lapsus;[3] hoc dein ad præceptorem deferetis.

*T.* Quid tum fiet?

*S.* Ille, utri vidébitur, victóriam et præmium adiudicabit.

*P.* Eris ígitur nobis testis tantum.

*S.* Sic intélligo.

*T.* Optima sane videtur mihi rátio.

*P.* Mihi quoque valde probatur.

*S.* Sed unum adhuc restat.

*T.* Quid?

*S.* Vultisne præter lapsus manifestos hæsitationes quoque notari?

*T.* Sic volunt præceptoris super hac re leges.

*S.* Date mihi librum in manum, ut eo cértius observare possim.

*P.* Tene meum.

*T.* Incípiamne nunc?

*P.* Æquum videtur, quandóquidem tu eras a me provocatus.

*T.* Audi ígitur, Sálomon, sed attente.

*S.* Tu vero cave, ut attente récites.

*T.* *Hoc quicunque cupis carmen cognóscere lector,*
*Hæc præcepta feras, quæ sunt gravissima vitæ.*

*P.* *Instrue præceptis ánimum, nec discere cesses:*
*Nam sine doctrina vita est quasi mortis imago.*

*T.* *Cómmoda multa feres, sin autem sprêveris illud*
*Non me scriptorem, sed te neglêxeris ipse.*

*P.* *Quum recte vivas, ne cures verba malorum,*
*Arbitrii nostri,* &c. (sic prosequuntur ad finem libri tertii).

1. **Anquiro,[3] sivi, tum,** quærere in circuitum, ubique quærere.
2. **Gymnicus, a, um,** quod est gymnasii.
3. **Lapsus, us,** error.

---

## COLLOQUIUM LIII.

ARGUMENTUM : *Puer socium rure redeuntem, de allatis e condicto uvis percontatur.*

**Porralis, Macardus.**

GRATULOR tibi réditum *Macarde;* quando rediisti rure?

*M.* Heri post merídiem.

*P.* Quid mater?

*M.* Ipsa paulo ante me domum pervenit.

*P.* Nonne equo vecta?

*M.* Ita profecto, et quidem tolutim,[1] ne patri, condicto[2] témpore discedenti, non adesset.

*P.* Te autem ruri réliquit?

*M.* Quid rogas? Mihi properandum non erat, ideo sátius duxi cum uno operariorum iter per pedes perfícere.

*P.* Non fuit tibi labor itíneris molestus?

*M.* Via mihi nullo modo fuit molesta vel diffícilis; nec currum pédibus anteposuíssem ádeo fuit redítio amœna et delectábilis.

*P.* Quantum distat hinc villa vestra?

*M.* Non plus quatuor milliáribus, nec iter est clivosum et árduum.

*P.* Sed iam satis de réditu; nunc áliud agamus. Fuístine promissi tui memor? vacuusne redivisti?

*M.* Non sum obliviosus, nec ígitur promíssum mente mihi éxcidit; adeoque ádtuli uvarum, quantum cómmode pótui.

*P.* Quantum ergo, salvo tuo cómmodo, adtulisti?

*M.* Unius quasilli.

*P.* Hui, unum quasillum uvarum! Ergo tibi uni.

*M.* Imo nobis duobus.

*P.* Quid? duobus? tantillum?

*M.* Comperiaris primum, dein iúdica. Cómmode non póteram binas físcinas gestare, alioquin vires me defecissent. Mater fácile permittebat, póteram vel ásini onus mecum baiulare.

*P.* Quam vellem adfuisse!

*M.* Ego et mater te plúrimum desiderávimus. — Verum, esto ánimo bono; ipsa unum fámulum in villa remanere iussit, qui mox cum operáriis domum véniet amplíssima corbe, aut plúribus, tum erunt tibi uvæ affatim.[3]

*P.* Aha, iam nunc optata lóqueris, mi *Macarde.*

*M.* Eamus domum nostram. Videbis quasillum nostrum, ut spero, adhuc íntegrum.

*P.* O lépidum capítulum! Nam útique cupiebam ire matrem tuam salutatum, quæ erga me semper cum summa fuit bonitate.

*M.* Profecto, ad nos veniéndo, ei gratíssimum féceris. Ex sua enim præsertim voluntate factum est ut te quæsitum venissem.

*P.* Quanta benevoléntia! Nunc iam vel offícium grati ánimi ad tecum eundum me ádigit, uvæ autem sólita vi me allectant.

*M.* Eamus ígitur.

*P.* Cum summo gáudio.

1. **Tolutim,** *adv.*, currendo, cursu equi moderato, non præcipiti; equus tolutaris, qui est levis, leviter currendo assuetus, cursor; non tamen cursus velox et vehemens intelligitur.

2. **Condictum** tempus est quod duo aut plures inter se in antecessum figunt, statuunt, determinant.

3. **Affatim,** *adv.*, abundanter.

---

## COLLOQUIUM LIV.

ARGUMENTUM: *Exemplum hic præbetur eximiæ in pauperes charitatis.*

**Antónius, Bernhartus.**

QUID hic solus meditaris?

*B.* Meam défleo misériam.

*A.* Quænam miséria te áffligit?

*B.* Heu, me míserum, ad altiorem classem sum evectus cum laude, nunc autem, ubi libros eius classis procurare débeam, non hábeo unde emam.

*A.* Paterne tuus non próvidet?

*B.* Solet quidem, ubi[1] suppetit.

*A.* Aitne média sibi non suppétere ut tuis indigéntiis cónsulat? Est ígitur avarus?

*B.* Id non séquitur.

*A*. Quid ígitur eum próhibet quóminus necessária tibi subministret?

*B*. Paupertas, seu pecúniæ penúria.[2] Quum res ita sit, véreor eum petendo contristari.[3] Tam sæpe enim fit ut aut unam aut áliam rem ab eo petam, ut mérito cónqueri possit nímiis me libris indigére.

*A*. Non est profecto ægre ferendum. Paupertas certe dura est sors; esto tamen bono ánimo, nec te eo afflictes, quæso. Dabo óperam, ut meus pater auxílio tibi subvéniat. Ipse enim eo ánimo est, ut egenis, ubi potest, nulla mora succurrat, præsertim iis qui litterarum stúdiis vacant.

*B*. O quantum solátii mihi affers! Iam de prosequendis stúdiis desperabam, quum te mihi necopinatus[4] ades.

*A*. Ego non puto hic de magna re agi. Pater meus médiis mínime caret, nec mihi quidquam quod suo iudício æquum sit negare solet. Dic mihi ígitur circiter de quanta summa quæritur?

*B*. De centusse et semisse,[5] aut duobus centússibus summum, nec de pluri. De libris solis quæritur, de nulla re ália.

*A*. Bene est, noli angi; confido id a patre meo hac véspera me impetrare posse. Intérea velim spem ne deponas. Vale.

*B*. Vale tu quoque, amice óptime.

1. Quum habet, quum ei non deest.
2. **Penúria** æ, inópia, egestas, absentia rerum, v. cuiuslibet rei, ad victum necessariæ; cáritas, indigentia.
3. Timeo, ne eum contrister, tristem faciam.
4. Non exspectatus.
5. Numeris sic exprimeretur: $1.50; potest de quocunque genere pecuniæ accipi, *centussis* enim *centum asses* denotat, seu centum libellas cuiuscunque gentis.

## COLLOQUIUM LV.

ARGUMENTUM : *De asperitate frigoris, et de incommodis fornacium fumantium.*

**Philippinus, Vuthérius.**

QUO nunc is?

*V.* In vaporárium.[1]

*P.* Quid eò?

*V.* Etiam rogas? Annon sentis frigus?

*P.* Quis frigus non séntiat? Certe acerbum satis est; ast ego in culinam me recípere mallem.

*V.* Atqui præceptor hoc interdixit.

*P.* Non ignoro, sed suam véniam prius impetrarem.

*V.* Eccur in vaporário calefíeri non vis?

*P.* Vapores furni, caput mihi tentant, (quod útique non firmíssimum hábeo), unde fit ut fácile ex cápite laborem.

*V.* Mihi quoque idem haud raro fit; sed iam fumo vaporárii quodámmodo assuefactus sum.

*P.* Idem et ego tento, speroque fore ut pedetentim assuéfiam; verum præstat ut tentámina id genus horis pomeridianis fiant, ubi nimius æstus deferbúerit.

*V.* At nunc tempus non est hic philosophandi diútius, iam mihi dentes præ frígore crépitant.

1. *Proprie* est tubus ad vaporem in balneum (lavatorium) deferendum ; balneum, lavacrum, lavatrina communis studiosorum.

---

## COLLOQUIUM LVI.

ARGUMENTUM : *Nomina rerum tantum novisse non sufficit, res ipsas esse cognoscendas.*

**Strátanus, Theobaldus.**

QUOT sunt árbores in horto vestro?

*T.* Est nobis hortus suburbanus, in quo ólera[1] ad vescendum crescunt. In eo nullæ sunt árbores; sed habemus in

eodem fundo[2] viridárium,[3] diversíssimis súrculis et arbustis cónsitum.

*S.* Quæ ólera cólitis in horto vestro?

*T.* De hac re mater, puto, mélius me respondére posset. Ipsa enim ibi sæpius quam ego versatur, nunc ad áliquid serendum, nunc ad sarriendum,[4] dein ad aliquid colligendum.

*S.* Sed tamen novisti áliquot género ólerum quæ mihi memorare possis.

*T.* Parum prodesset nómina earum rerum recensére, nisi res ipsæ tibi cógnitæ sint; quocirca præstabit locum ipsum adire.

*S.* Potesne ire quando libet?

*T.* Possum, nec nisi matris assensum sóleo pétere.

*S.* Fac, amabo, ut indúlgeat, ea lege ut ego tibi cómitem præstare possim

*T.* Si hoc vis, facultatem prótinus impetrabo. Consiste hic, rogo, sine mora redibo.

*S.* Quid si ipsa domi non sit?

*T.* Faciamus perículum.

*S.* Bene vertat Deus.

1. **Olus, eris,** *n.*, plantæ quæ in hortis coluntur, tum maturæ *leguntur* (colliguntur), inde vocantur **legúmina.** Verbum autem **vescor, sci,** *dep.*, *n.* et *act.*, valet fere idem ac **pascor,** *hoc est*, se alere, nutrire, consuetudo aliquid edendi, pabulum, cibum sumere, edere; semper ablativum regit, sic: pane carnibus et oleribus vescimur, seu: panem, carnes et olera edere solemus.

2. **Fundus, i,** est locus infimus in vase, lacu, flumine; hinc *profundus, a, um, fundamentum, funditus;* locus in terra in quo domus stat; locus prope ad domum, in quo domus erigi possit; omnis terra, ager, campus pascuum, pratum, arvum, pomarium, hortus totumque prædium, quæ ad certam quamdam domum, vel dominium, spectant. Latinitate sequiori, populari, **fundus** est etiam pecúnia, cuius vi ac valore res quædam (templum, institutum litterarium, xenodochium, orphanotrophium, asylum quodlibet, argentaria) nititur et sustinetur; aut unde sumptus in bonum finem derivantur, quia res hæ, veluti *fundo*, pecuniæ innituntur; hinc *fundatio.*

3. **Viridárium, i,** est hortus, ubi **súrculi,** (rami arborum, terræ, ad germinandum et pullulandum infixi), seu arbores teneræ crescunt et vegent. **Cónsero,[3] sevi situm (satum),** sero, planto.

4. **Sárrio,[4] ui (ivi) itum**, terram ligone pastinare, seu instrumento ferreo solum terræ cædere, ita ut radices inutiles, herbas malas radicitus evellere et eiicere possimus. *Ligone* (ligo, onis, *m.*,) pastinamus, et in quantum malas herbas exstirpamus, **sarrimus.**

---

## COLLOQUIUM LVII.

ARGUMENTUM: *Hic exemplum liberalitatis proponitur.*

**Præpósitus, Caulónius.**

HODIE a patre pecúniam accepi; si tibi forte opus sit.

*C.* In præsentiarum nulla re indígeo; níhilo tamen sécius máximam tibi hábeo grátiam, quod pro tua liberalitate ultro mihi hanc beneficéntiam offers; quotusquisque id fáciat?

*P.* Verum est; paucíssimos esse credo; at tu ipsa me non semel benefíciis provocasti.[1]

*C.* Adeo exígua ea erant, ut memoratu digna non sint.

*P.* Benefícium, quod ex óptima voluntate procedat, exíguum nunquam est existimandum.

*C.* Quum mihi per média áliis succúrrere, aut verò consília et ópera áliis sublevamen præbére licet, me magnum quid præstare, aut singularem virtutem exercére, nunquam persuádeo.

*P.* Atqui mihi tamen 'máximam grátiam' habére fatéris, quum re tam exígua tibi prodesse cúpio.

*C.* Animus ingratus turpíssimus est. Is qui humanitatis offícia non grato ánimo éxcipit, nec bonum cum bono compensat,[2] turpis et sórdidus est.

*P.* Tune putas túrpibus et sórdidis nullum benefícium debéri? Ratumne[3] arbitraris ut his benefícia negentur, et suo fato relicti intéreant?

*C.* Illud mínime probo; inhumanum esset, vel stultum, dementem, aut étiam maleficentíssimum sínere ut ex stultítia aut maleficéntia sua intéreat. Humanitate erga omnes hómines præcepto naturæ tenemur; méritum enim eius est qui offícium humanitatis confert, non eius qui récipit.

*P.* Iam mentem tuam perspício. Tu ergo doces omnes bonos humanos, liberales, benéficos esse oportére, sive digni sint beneficiárii sive indigni, nec referre, utrum hi grato sint ánimo aut ingrato, modo quis *próprio suo* offício satisfáciat.

*C.* Hæc, ex mea senténtia, est vera humánitas et liberálitas. Qui ergo benefacit, naturæ præceptum implet, qui non facit, inhumanus est.

*P.* Tuum discípulum iam me profíteor.

1. **Provoco,**[1] **vi, tum,** aliquem ad certamen appellare, vocare; alicui simile quid rependere; unam rem facere, ut aliquis aliam faciat.

2. **Compenso,**[1] **vi, tum,** alicui aliquid in mutuam vicem, ex grato animo, aut ex officio, facere; rependere, damnum reparare, resarcire, retribuere; *proprie*, **compensare** de lancibus trútinæ dicimus, quum in una lance pondus est, in altera autem merx eiusdem ponderis, ita ut lances in æquilibrio oscillent.

3. **Ratum,** *pp.* ex **reor, reri, ratus sum,** opinari, putare, arbitrari, videri; dein: in re acquiescere, non obtestari, adnuere, silentio approbare, probare, assentiri.

---

## COLLOQUIUM LVIII.

ARGUMENTUM: *Præstare ut puer magis meticulosus quam nimium audax sit.*

**Fatonus, Barbarinus**

QUID agis?

*B.* Scribo.

*F.* Quid scribis?

*B.* Describo dictata præceptoris.

*F.* Quænam?

*B.* Hesterna.

*F.* Quid? Heri non adfuisti?

*B.* Adfui quidem, sed præceptorem dictantem ássequi[1] non póteram.

*F.* Quæ res te impediebat?

*B.* Quod satis cómmode non sedebam.

*F.* Forte sérius venisti?

*B.* Sic áccidit.

*F.* Cedo commentárium[2] tuum, égomet pro te scribam.

*B.* Quî hoc mihi próderit.

*F.* Ego velócius describam quam tu, tum ludemus unà, ut præceptor concésserat. Pórrige, inquam, libellum tuum.

*B.* Id quidem libenter fácerem, sed non áudeo.

*F.* Quid times?

*B.* Edictum præceptoris.

*F.* Quod edictum mihi mémoras?

*B.* Non recordaris eum vetuisse, ne quis sine indultu eius pro áltero scríberet?

*F.* Id quidem ego probe mémini, sed unde ipse hoc résciet?

*B.* Rogas? Quum causa inspiciendi rationem scriptorum éxiget, captus ero. Novit enim manum meam; prætérea étiam nec fallendum est, nec mentiendum.

*F.* Hoc non ignoro præceptis ipsius religionis quoque vetari.

*B.* Quid ergo præceptori respondérem, quum ipse negaret me ista scripsisse?

*F.* Rem eo deventuram non spero.

*B.* Nolo tua spe tantum subire perículum.

*F.* Vah! nímium tímidus es; tu in vita nunquam prosperabis.

*B.* Tu autem, fortasse, ex adversa culpa laboras: iusto audácior es.

*F.* Scribe ígitur tu quantum voles, ego ad ludendum me cónferam.

*B.* Fac ut ábeas; iam íntegram páginam descripsissem, nisi me interpellasses.

*F.* Intérea tamen profécimus áliquid, dum Latine fabulabamur.

1. **Assequor,[3] cutus sum (=quutus)**, sequor ad . . ., consequor, insequor, prosequor, persequor, *hoc est*, si quis ante me procedit, quem ego præterire volo, gressus meos incito, velocius quam ille incedo, et mox eum adtingo,

tum eum *assecutus* sum. In nostro exemplo præceptor velocius dictabat quam quod scriptor calamo excipere potuisset, ideo præceptorum *assequi* non valuit.

2. **Commentarium, i,** hic loci libellus est, in quo notas, conceptus scriptos, &c. connotamus, in quo cogitata, observationes privatas describimus. Id quod evulgatur *commentarium* non dicitur. Sic libri *commentarii* C. I. Cæsaris meræ *notæ* sunt *privatæ*, non ad evulgandum scriptæ. Scripta periodica Romani "acta diurna" seu **diurnalia** vocabant, unde Neo-Latini "giornale" et "journal" hodie quoque appellant, si ea scripta quotidie (lingua colloquiali *dietim*) prodeant. "Termini technici" pro aliis non exstant, fingi debent, sic, quæ quater per annum eduntur, *trimestralia*; quæ omni mense, *menstrua*; quæ bis per mensem, *semi-menstrua ;* quæ septimis quibusvis diebus, *septimanarium*, vel *septimanum*, & sic porro.

---

## COLLOQUIUM LIX.

ARGUMENTUM: *Exemplum animi, ad gaudium aliis parandum semper proni.*

**Berthinus, Probus.**

VENITNE pater tuus hódie ad núndinas?

*P.* Hódie sólito matúrius ad me venit, quum vix e lecto surréxeram.

*B.* Nihil ab eo petivisti?

*P.* Petivi, sane, pecúniam.

*B.* Numeravitne illico?[1]

*P.* Sine mora.

*B.* Quantum? óbsecro.

*P.* Duos centusses.

*B.* Pape![2] Centusses duos! Quí fit ut tibi tantum pecúniæ commíttere non dúbitet?

*P.* Quia novit me dispensatorem parcum[3] esse; quandóquidem ipsi ad terúncium[4] semper rationem réddere sóleo.

*B.* Sed fortasse ægre impetrasti.

P. Imo facíllime, atque ádeo cum grátia.

*B.* O mansuetum parentem!

*P.* Certe mitíssimum.

*B.* Sed, ut ad rem, quid fácies ista pecúnia?

*P.* Emam vária necessária.

*B.* Potesne mihi áliquid mútuo dare?

*P.* Possum, si égeas.

*B.* Nisi egérem, non péterem.

*P.* Quantum ígitur vis accípere?

*B.* Sat parum, unum quadrantem tantum.

*P.* Multum non est, en nummum.

*B.* Grátias tibi! Egrégio in me es ánimo.

*P.* Verus amicus is non est, qui amico indigenti témpore adesse[5] nolit, modo ipse hábeat unde succúrrere possit.

*B.* *Amicus certus*, ut in provérbio est, *in re incerta cérnitur.*[6]

*P.* Quando reddes mútuum?

*B.* Quum pater meus primum in urbem vénerit.

*P.* Quando eum venturum speras?

*B.* Ad núndinas próximas, nempe octavo Octobris. Fidem non fallam.[7]

1. **Número[1], vi, tum,** est res per números designare; item, números in órdine recitare; demum, ut hic, pecuniam illico, sine mora, exsolvere.

2. Exclamatio non credentis.

3. **Parcus, a, um,** est is, qui opes non profundit, sed caute expendit, providus, v. ut vulgo dicimus, est *œconomicus;* parcus opponitur *pródigo;* qui iusto plus parcus est, *avarus* dicitur.

4. **Terúncius, a, um,** (*scil.* nummus), tres-duodécimæ partes *assis*, v. una quarta assis; nummus minimus; res exilis, vix memoratu digna.

5. **Adsum, adesse, adfui,** sum ad manum, sum præsens, non absens; **adesse alicui,** semper subaudit *ope*, *auxílio*.

6. Proverbium ex *Ennio*, poeta Rño veterrimo, apud *M. Tullium Ciceronem* (De Officiis, XVII. 64).

7. **Fidem fállere,** promissis non stare, promittere áliquid, dein non fácere.

# COLLOQUIUM LX.

ARGUMENTUM: *Exemplum ad exercendum pueros in simplici collocutione, ut paulatim puritati linguæ sese assuefaciant.*

**Pædagogus, Puer.**

QUOTA hora es expergefactus[1] hoc mane?

*Pu.* Ante lucem, quota hora, néscio.

*P.* Quis te expergefecit?

*Pu.* Venit excitator hebdomadárius[2] cum lanterna sua, pulsavit ácriter óstium cubículi, quidam nostrum apéruit, excitator nostram lucérnam accendit, elata voce inclamavit, quo facto, omnes experrecti sunt.

*P.* Narra mihi órdine[3] quid ex eo témpore usque ad finitum ientáculum égeris. Vos autem cæteri púeri áuribus et ánimis diligenter atténdite, ut quum vos quæsívero, eodem modo referre queatis.

*Pu.* Experrectus surrexi e lecto, tempestatem[4] visum fenestram petivi, sipárium[5] súblevans; reversus, camísiam[6] éxui, eam fulcro[7] suspendi, tum cónsidens, tibiália,[8] mox braccas, dein cálceos índui, atramentum[9] deprompsi ad poliendos cálceos, quo facto, ad mallúvium[10] accessi, quod in lavatrina, cubili nostro contígua est, fundum pelvis obturavi,[11] ex epistomiis aquam frígidam, tum cálidam immisi, ut esset tépida, sumpto smégmate,[12] id in palmís[13] fricando spumam elícui, qua vultum illevi,[14] tum aqua spumam diligenter áblui, dein sumpto sábano,[15] vultum, aures, cervicem, guttur, brachiaque mádida[16] extersi.[17] Deinde sumpsi sétulam,[18] apérui pyxidem nitellæ,[19] dentes perfrícui, tum aqua os élui, ex phíala[20] dentifrícium in sétulam stillavi fragrans, gingivis firmitatem, ori saporem, hálitui suavitatem áfferens. His finitis, aquam, obturáculo revulso, iam sórdidam et infectam exegi, pelvim lavi spóngia et extersi, dein sumpto péctine crines péxui et setáceo concinnavi. Post hæc subúculam e dentali[21] sústuli, eam

índui, focale[22] circúmdedi collari rígido mundíssimo, idque colligavi, tum colóbium índui, connodavi a péctore, demum túnicam, setáceo versam, pulvéribus excussis, índui, tandem mítrulam cápiti impósui. Vix hæc perégeram, quum tinnitu campánulæ in sacellum,[23] ad preces matutinas persolvendas accersebamur. Post preces simul elata voce recitatas, brevi témporis intervallo in triclínium, quod vulgo *refectórium* vocamus, álio pulsu invitabamur. Hic mensis stratis,[24] quisque suo loco, accubúimus.[25] Iam dapinatum[26] erat. Appósita erat puls[27] avenácea cum sáccharo tuso floreque lactis condienda, ova tam pileata[28] quam frixa, solana[29] cocta inglupta, item frixa, ad lúbitum, panis tritíceus sectus, autopyrus,[30] urcéoli[31] lactis, camellæ floris lactis, patellæ butyri, cyathi caffæ, acetária, salinária, piper, cultri, fuscínulæ cochleariaque, dénique patinæ singulos accúbitus indicarunt. Fusis brevíssimis précibus, accubúimus, nec multum vociferati, ientáculo, locustarum[32] more, finem fécimus.

*P.* Nemone vobis ientántibus præerat?

*Pu.* Hypodidáscalus, ut semper solet.

*P.* Quid ipse agebat intérea?

*Pu.* Ipse intérea per médiam aulam, librum in mánibus gestans, ambulabat, interdum observatorem accedens, ut eum ad animadvertendum provocaret, non enim déerant, qui vel edendo garrire amarent.

*P.* Háctenus præstanter mihi satisfecisti; cætera post prándium narrabis, nisi intérea áliquid necopinati intervénerit. Procedamus nunc in triclínium ad prandendum, ne Directori Clarissimo[33] in mora simus.

*Pu.* Modo audivi tinnitum.

*P.* Opportune venit.

1. **Expergefácio,**[3] **feci, factum,** aliquem e sommo excitare; *pass.* **expergefio, fieri, factus sum;** item, **expergiscor, -rectus,** idem atque *expergefio*, evigilo.

2. **Excitator hebdomadárius,** in alumniis, seu Institutis, ubi studiosi convivunt (hinc **convictus, us**), plerumque duo studiosi, "iunior," et "senior,"

vicibus alternis munere obeunt reliquos studiosos e somno excitandi, hyeme hora 6ta, æstate autem 5-ta. Munus hoc singulis hebdomadibus durat, ideo vocantur "hebdomadarii." Utuntur autem "crepitaculo" ligneo, peculiari modo facto.

3. **Ordine,** potest dici **ex ordine, in** ordine, **per** ordinem.

4. **Tempestas, atis,** *f.*, est conditio, status temporis, sudum, serenum, nubilum, pluviosum, nebulosum.

5. **Sipárium, i,** est velum, quo fenestras obtegimus, sive nocte, sive contra solem.

6. **Camísia, æ,** est vestis laxa et sinuosa, nocturna, in qua dormimus. Hinc est vocabulum Gallicum, cum aspiratione: "chemise."

7. **Fulcrum, i,** quatuor *pedes*, præsertim posteriores, lecti, ad caput dormientis.

8. **Tibiale, is,** *n*, vestes pedum; **braccæ, arum,** vestis, qua crura et coxam tegimus; **calceus, i,** indumentum superius coriaceum super tibialia; **ocrea, æ;** hyeme, v. equitando, *cothurni.*

9. **Atramentum, i,** sutorium, melius putamus **melantériam,** quod *atramentum* potissimum ad scribendum adhibemus, calceos autem *melanteria* "atramus" (vocabulum, ut verbum, a Classicis nunquam adhibitum, tamen bonum putamus).

10. **Mallúvium, i,** (manus+lavo), est supellex domestica, quæ pelvim sustinet, in qua faciem lavamus. **Lavatrina,** est pars domus, ubi **lavacrum** est. Hinc est etiam correptum "**latrina**" quæ iam potissimum locum significat, ubi necessitatibus naturæ consulitur.

11. **Pelvis, is,** *f.*, vas, in quo manus lavamus. **Obturare,** est *obstruere* aperturam; id, quo obturamus, est **obturaculum; epistómium** est res, quam prorsum aut retrorsum vertimus, eaque cursum aquæ (vini, v. alterius liquoris) aperimus v. claudimus.

12. **Smegma (smigma) -atis,** *n.*, idem quod vulgo **sapo, onis,** *m.*

13. **Palmus, i,** poetis **palma æ,** est manus aperta, seu **vola** et digiti.

14. **Illino,**[3] **levi, litum** (in+lino,[3] levi, litum, etiam **linio,**[4] **vi, itum**), est aliquid *ungere* pigmento, oleo, aqua, &c.

15. **Sábanum, i,** est tela crassior ad tergendum manus, faciem, quum nos lavimus.

16. **Mádidus, a, um,** ex **mádeo,**[2] **mádui, madefácio,** est id quod non est siccum, quod est *aquosum;* differt ab **húmido** et **úvido:** humidus est aer, terra, charta, vestes; **úvida** est terra ubi stagna et paludes sunt; **mádidum,** est id quod aquæ intingitur, vel plúvia *madefit.*

17. **Extérgeo,**[2] **si, sum** (tergeo,[2] si, sum), etiam **tergo,**[3] **si, sum,** máculam, scripturam, &c., manu, spongia, tela, sábano, delere, desiccare, oblitterare.

18. **Seta, æ,** pili suum, iuba et cauda equorum, pili quicunque **asperiores,** crassiores, e quibus fiunt **sétulæ** ad purgandos dentes, et **setácei,** ad verrendum vestes, atque **scopæ,** ad verrendum domos.

19. **Pyxis, idis,** *f.*, est vocabulum Græcum, unde est Germanorum *Büchse*, ex quo Anglorum *box*, atque Slavorum *pushca*, est capsa, capsula, cistula, cistella, est receptaculum, seu vasculum, uti hic, in quo **nitella,** hoc est pulvis, ad purgandum dentes, et res eiusmodi exiguæ continentur.

20. **Phiala, æ,** est lagénula, ampulla, ad servandum liquida. **Dentifricium, i,** est smegma liquidum, ad lavandum dentes. **Fragrans, tis,** est id quod **fragrat** (**-ro.**[1] **vi, tum**), seu odorem suavem spirat. **Gingiva, æ,** est ea pars oris, in qua dentes sunt infixi; **hálitus, us,** autem est *spiritus*, spiramen, præsertim spiritus quem ex ore efflamus.

21. **Dentale, is,** *n.*, est supellex, cui vestes appendimus.

22. **Focale, is,** *n.*, pars indumenti, quam circum *faucem* (hinc est nomen, quasi *faucale*), seu collum, ligamus. Hodie merum ornamentum. **Collare, is,** *n.*, est tela, potissimum alba, seu candida, amylo tincta, adeoque rigida, quam subuculæ adnodamus et collo circúmdamus. **Colóbium, i,** est indumentum, quo pectus, latera et tergum tegimus. **Túnica, æ,** est vestis virorum, qua corpus superius, una cum brachiis tegunt, et ideo **mánica** est instructa. **Mítrula, æ,** demum est, quod vulgo etiam **cappam** appellamus, quæ caput obtegit.

23. **Sacellum, i,** "est locus parvus Deo sacratus, cum ara," ut Gellius (VI., 12, 5) definit; "Sacella dicuntur loca Diis sacrata, sine tecto," ut Festus. Est autem e verbo *sacer*, *cra*, *um;* est templum parvum, præsertim in ædibus privatis, institutis, &c., nostra ætate.

24. **Sterno,**[3] **stravi, stratum,** mensam linteamine operire, tégere.

25. Veteres mensis *accubuerunt* ad+cumbo), nos *assidemus* (ad+sedeo,[2] assedi, assessum).

26. **Dapino,**[1] **vi, tum,** dapes, seu cibos, mensæ apponere, mensam apparare, cibis, eduliis instruere.

27. **Puls, pultis,** *f.*, pulmentum, polenta; **avenaceus, a, um,** quod est ex *avena;* **sáccharum, i,** autem est succus cannarum crystallinus, quo caffam, et, in genere, res amaras *condulcamus*, seu dulces reddimus. **Tusum,** (ex **tundo,**[3] **tútudi, tusum,** contundo, confringo, comminuo) quod in exigua grana est confractum. **Flos lactis,** *m.*, est superficies lactis, cremor.— **Condímus** cibos, quum eis salem, piper, sinapim, acetum, zingiber, cinnamomum, embamma, aliaque eius generis addimus, ut saporem eis inferamus.

28. **Ova, pileata, frixa,** priora sunt ova cocta in putamine, quod ex parte avellitur quum ovum edimus, pars tamen, quasi pileus, remanet. **Frixa** autem ova ea vocamus, quæ confringimus et in **sártaginem** effundimus, et

commiscemus, tum super ignem frigimus (**frigo,**[3] **xi, ctum** & **frixum,** torreo, asso).

29. **Solanum, i,** est nomen plantæ; *Linnæus* "solanum tuberosum" vocat plantam, quam Galli et Germani "poma terrestria," Angli "pateta" appellant, nos **solana.** Si *gluma,* seu pellis, deglúbitur (**glubo,**[3] **glupsi, ptum**), sunt **glupta**, alioquin **inglupta.**

30. **Autopyrus, i,** est panis crudior, furfuratus, ater, secalinus; **tritíceus** est albus, etiam **siligneus.**

31. **Urceus, i, urcéolus, i, camella, æ,** sunt váscula; **patella, æ,** (**patina patinula, orbícula**) est vas figlinum, aut myrrhinum, quod in mensa cuique præponitur, ut ex eo cibum sumat.

32. **Locusta, æ,** *proprie,* est cancer marinus, *hic,* est insectum (ex communi usu vocabuli, secundum Plinium), quod herbas et segetes solet devorare.

33, Apud Romanos, et post eos omnes qui Latine loquerentur, moris erat viros ac mulíeres digniores semper cum laude memorare, talis titulus honoris est "Clarissimus," v. "Clar." "Cl."

---

# COLLOQUIUM LXI.*

ARGUMENTUM: *Puer prosequitur narrationem, quam ante prandium occeperat.*

**Pædagogus, Puer.**

UBI finivisti narrationem tuam ante prándium?

*Pu.* Quum narrationi meæ de ientáculo finem impónere volebam, tu me interpellasti, præceptor.

* **Mónitum.** Collóquia duo, lx, et lxi e novo scribenda iudicavimus, ut veram exhiberent imaginem tam vitæ in Alumniis, et scholis veterioribus, tam, imprimis, ut vocabula, velut *terminos technicos* phrasesque solitas tradere possemus, quibus etiam nostra memória præceptores in scholis uti soluerunt. Præceptores huius generationis, si in classe sua l. Latina uti vellent, quum ipsi sic docti non sint, vocabula phrasesque nescirent, atque si e proprio vernaculo vertere tentarent, in errores sine dubio inciderent. Cæterum, verba tam utilia hic inseruimus et notis illustravimus, ut ea omnes, etiam non præceptores, cum voluptate discere et in vita practica adhibere possint. CORDERIUS opportunitatem hæc docendi non perspexit, et multa sine fructu repetit, animadversiones religiosas, monitaque pia impertit, quæ ad finem præfinitum parum facere nobis videbantur.—*A. A*

*P.* Proséquere, ígitur, mi puer, et narra in órdine réliqua.

*Pu.* Sic igitur res apud nos procedit. Paucis minutis[1] ante octavam púeri cunctarum clássium in aulam congregantur. Præfecti classium cæterique Magistri, qui ea hora docturi sunt, locum suum sólitum óccupant. Demum Director, aut summæ classis Præfectus, suggestum[2] conscendit, preces recitantur, tum Nomenclator cuiusque clasiss, a suprema ad ínfimam, registrum récitat. Qui adest quisque respondet, "Adsum;" qui deest, notatur. Si quid insóliti impendit, Director, aut vicárius, annúntiat, sin autem sólitus ordo diei observandus est, súrgimus omnes, quæque classis coalescit, excédimus in ámbitum,[3] classis quælibet suum petit conclave.[4] Præceptores, exígua mora interpósita, nempe ut púeris, ad libros disponendos, pensa inspicienda, spátium concedatur, suas classes intrant. Ubi mos "schedatorum" viget, lóngius intervallum concéditur, ut schedatores in suos inquírere ac notare possint. Observator schedúlio nómina "clamatorum," Nomenclator, nómina abséntium, *schedatores* autem suas schedas Præceptori præponunt. Is, simul ac suggestum ascendit, diária[5] expromit, órdinem dicendorum, nómina absentium consignat, si autem idem et Præfectus sit classis, res quoque disciplinárias disponit.

*P.* Hæc ad amussim explicasti, Puer mi; laudem tibi negare non possum. Sóciis púeris exemplum insigne præbuisti; sed adhuc superest, ut nobis órdinem éxplices prælectionum et institutionis, perinde ac responsionum ex parte discipulorum. Si hoc probe et accurate præstiteris, præmio te donabo.

*Pu.* Grátias tibi habeo, Præceptor óptime, fácere conabor, ut tam laude tua, quam præmio, saltem ex parte, dignum me præstem.

*P.* Hoc cum summa fidúcia exspecto, et tam ego, quam sócii tui et condiscípuli, ánimo intenti te audiemus. Procede.

*Pu.* Primam ígitur horam hoc mane linguæ Latinæ impéndimus, Clmo Mgtro. *Felice Fígulo*[6] in cáthedra. Is perlustratis[7] schedis, provocavit[8] me, néscio quo pacto, nam nota mihi "2" erat, quod "*præclarum*" indicat; "1," "*éminens*," "3," "*bonum;*" "4," "*sufficiens,*"[9] seu *sat-bonum;* "5," "*secundam,*" seu *malum* valet; "6" autem "*tértiam,*" seu *mihil* significat, quod est péssimum. Decem dísticha erant nobis memóriæ mandanda, inítium Libri IV-ti *Dionysii Catonis.* Viginti versículos hos ego único lapsu recitavi, alióquin "éminens" fuissem. Tum Mgr. "Récita," inquit, "distichum octavum dénuo; non pénitus apprehénderam; répete illa verba." Ego prótinus sic recitavi:

"*Vérbera quum túleris discens aliquando magistri,*
*Fer patris impérium, quum verbis exit in iram*".

"Præstanter!" inquit Mgtr., "nunc *analyza* versum primum, ut te sensum pénitus intellígere compériar." Análysin ego sic instítui: "*Vérbera*, est nomen substantivum." *Mgtr.*: "Cuius declinationis?" Ego: "Tertiæ." *Mgtr.*: "Quare?" *E.* "Quia casus pátrius[10] eius exit in *is*, *hoc est*, verber, vérber*is*." *M.* "Cuius est géneris?" *E.* "Est géneris neutríus." *M.* "Per quam régulam 'QVÆ MARIBVS?'"[12] E.: "Per exceptionem régulæ:[13]

'**Er** *máribus dona.* Laver *hoc cum* túbere *poscit.*
Uber, iter, spinther, laser, cicer, *atque* papaver,
Ver, siser *atque* piper *cum* **vérbere** *necte* cadaver'!

*M.* "Optime! In quo casu est *vérbere?*" *E.:* "In accusativo plurali." *M.* "Quare?" *E.* "Quia est obiectum directum verbi activi et transitivi *túleris.*" *M.* "Unde est terminátio *a* eius substantivi?" *E.* "Cuncta neutra in *a* éxeunt in tribus cásibus, *nominandi, accusandi* et *vocandi.*" *M.:* "Quæ pars orationis est *quum*?" *E.:* "Est partícula coniunctiva, seu *coniúnctio.*" *M.:* "Regitne quidquam?" *E.:* "Regit tam Indicativum, quam Coniunctivum?" *M.:* "Explica ultérius." *E.:* "Partícula *quum* Modum Indicativum regit, quum

tempus actionis indicat, Coniunctivum, si eius conditionem; sic: 'Quum in schola *sum*, disco,' verbum 'sum' in Indicativo est; 'quum res ita *sit*, credo,' est in Coniunctivo." *M.*: "Recte dictum. Eccur scribimus hanc partículam per **qu**, non ut multi álii per **c**?" *E.:* "Romanis ipsis in dubio erat, et utroque modo scribebatur; nos tamen discrimen inter duo statúere vólumus, quod studiosis multum iuvat." *M.:* "Explica sis nunc vocábulum *túleris*." *E.:* "*Túleris* est verbum anómalum activum et transitivum, Coniugationis, seu Declinationis tértiæ, e tribus vocábulis confictum, vidl., *fero, ferre, tuli, latum.* Est autem in persona 2-da singulari, témporis Futuri Exacti, Modi Indicativi; est prædicatum senténtiæ, subiectum sui.—Et sic deinceps, expósui participia, gerundiva et gerúndia, advérbia, flexi aliquot nómina substantiva cum adiectivis, verba cum pronomínibus personálíbus declinavi, mox ad tábulam accersitus numerália exercendo áddidi, subtraxi, multiplicavi et divisi, donec Mgtr. ex omni parte contentus, non medíocri laude me in scabellum remisit.—Tum pauca ex uno alterove "notatorum" percontatus, unum perquam imparatum réperit, quem verbis sat acerbis reprehendit, nec puer a lacrymis sibi temperare póterat. Demum Mgtr. novum *pensum* explícuit, quædam valde docta et iucunda interpósuit, exercítia scribenda, vocábula versusque memóriæ committenda assignavít, atque spátium unius horæ tam celériter nobis élabi videbatur, ut quum sónitus tintinnábuli audiretur, vix própriis áuribus fidem haberemus."

*P.* Puer mi, narrátio tua præclara fidem et exspectationem meam longe súperat. Qui imparatus eventus diei cum tanta fide tamque accurate probaque Latinitate enarrare valet, tam ex meo, quam sociorum iudício, dignissimus est qui præmio honestetur. En librum elegantissimum, *Historiam Romanorum,* hic autem centussis esto corollárium.[14]

1. **Minutum, i,** *nn. subst.*, ex **mínuo,**[3] **ui, utum,** facio *minus;* tempus minutum, deminutum; Romanis hoc sensu ignotum, ii enim **momentum,** (quasi

*movimentum*), v. punctum temporis, dixerunt. Astronomi sequioris ævi diviserunt tempus in horas, has autem in *minuta* 60, quum autem hæc iterum in 60 minutiora puncta divisissent, ea **minuta prima**, hæc autem *minuta* **secunda** appellarunt.

2. **Suggestum, i,** (etiam **suggestus, us**), ex sub+gero, locus editus, elevatus, pulpitum.

3. **Ambitus, us,** circuitus, fauces, via in domo, quæ ad ianuas circumducit.

4. **Conclave, is,** *n.*, *proprie*, duo aut plura cubilia sic iuncta, ut una clavi claudi et reserari queant; latiori sensu quodcunque cubile amplum et largum.

5. **Diarium, i,** est liber diurnus; id quod quotidie scribitur, notatur. **Expromo**[3] **psi, ptum,** produco, e loco, ubi aliquid abditum et sepositum est, profero, effero.

6. **Figulus, i,** est opifex, qui vasa culinaria, uti ollas, cacabos, urceos, culignas, lances, pateras, paropsides, &c. ex argilla *fingit*, aptat.

7. **Perlustro,**[1] **vi, tum,** intueri, inspicere, recensére.

8. Evocare, in medium vocare, citare.

9. In scholis dicimus: *analyza*, in imperativo, seu lve.

10. Grammatici veteres sic vocarunt *Genitivum*.

11. Ut iam monuimus antea, Grammatici Rñi "*neutri*" dicunt, nos in scholis *neutríus*, malumus.

12. "**Quæmáribus**" est summa carminum memoralium Clmi ac Rever. quondam EMMANUELIS ALVARI, Sacerdotis Societatis Iesu, Lusitani, quibus omnes regulas et principia generum nominum substantivorum linguæ Latinæ comprehenderat. Quum autem libellus a verbis "Quæ maribus solum tribuuntur, mascula sunto," incipiat, eum uno vocabulo "Quæmaribus" appellari usuvenit, eratque pars omnis grammaticæ Latinæ in toto orbe, et est adhuc apud plures gentes.

13. Régula supralaudati "Quæmáribus," de nominibus in **er**, Tertiæ Declinationis, quam omnes studiosi totius orbis superiorum generationum memoria tenuerunt, et nos ex memoria recitamus.

14. **Corollarium, i,** est ex **corolla, æ,** quasi **corónula,** corona minor, hinc *pecunia*, ad emendum flores, ad nectendum coronam; pecunia gratuita; donum, munus, munusculum.

# COLLOQUIUM LXII.*

ARGUMENTUM: *Magister linguæ Latinæ, Præfectus classis Rhetorum, ex itinere per totam Europam redux, pueris auscultantibus, et interdum quæstiones ponentibus, eventus itineris narrat.*

**Magister, Discipuli.**

ABITURO mihi, púeri, "felix iter," atque felicem réditum precati estis. En, íterum in médio vestrum sum, incólumis, sanus et vegetus,[1] sint Deo laudes. Si nunc attenti et morigeri[2] auscultábitis,[3] narrabo quædam ex itínere meo, nec áliud pensum a vobis éxigam, nisi ut nómina géntium, locorum atque vehiculorum quæ memorabo, lítteris consignetis, et rogati referre sciatis. Placetne?

*Púeri omnes:* Valde placet, Mgtr. bone; procede sis, intentíssimi auscultábimus.

*Mgtr.* Notum vobis est, anno superiore, quum hinc profectus eram, ferióviam ramalem[4] Austro-Centralem,[5] quæ nunc stationem nostro fundo contíguam habet, nondum absolutam fuisse, adeoque, more patrum, carruca[6] hinc discessisse. *Lausónii*[7] parum sum moratus, quod regionem circum lacum Lemanum probe exploratam habueram. Hinc nulla mora digressus, Genevam properavi, illinc autem *Aquas Sextias,*[8] in *Sabaudia,* partim ut virtutem salubérrimam thermarum experirer,

*Nota. Colloquium istud quoque novum est, quod Corderianum iterum adeo erat rebus theologicis refertum, ut non adeo sermonem Latinum, quam meditationes asceticas docere videretur. Satius esse iudicavimus paucis Geographiam attingere, et simul eadem opera debitum nostrum animi grati erga Cl. Drem. Med. *C. Macé*, ex cuius humanitate exemplar Corderii nacti fueramus, saltem ex modica parte rependere. Is enim vir egregius omnis est principium inculcando, Latinitatem cum scientiis et artibus sic coniungi oportere, ut ipsa sit earum vehiculum, hoc est, *Geographiam, Mathesin, Physicam, Chemiam, Historiam Naturalem*, &c. Latine tradi oportere. Esto igitur Colloquium istud illustratiuncula eius principii, atque indicio illis, qui fortasse quondam eidem rei penitiorem operam impendere velint.

partim autem ut celeberrimo ibidem viro, Clmo. *C. Macé*, Dri. Med.,[9] offícia honoris præstarem. Famam eius viri partim ex *Præcone Latino,* partim autem e libello suo, *"L'Utilité des Etudes Græco-Latines,"* didíceram.[10] Illinc *Marsiliam*[11] properavi, ut navim conscendens *Barcinonem,*[12] in Catalaunia, parte Hispaniæ, urbem, terram et gentem, mihi plane ignotam, visitarem.

*Puer áliquis.* Indulge Mgtr. ut te interpellem. De Hispania tam multa tamque pulchra in história narrantur, veluti de *Numántia,*[13] de *Scipione*, de *Hasdrúbale* et *Hanníbale,* item de Saracenis, de Império Hispánico per colónias in orbe Novo, et in ínsulis dissitíssimis. Estne adhuc gens Hispánica tam nóbilis, tam fortis, tantaque potestate?

*Mgtr.* Nequaquam, puer mi; glória, fortitudo, impérium, opuléntia Hispanorum in prætéritis est; Hispánia fuit; ætate nostra gens Hispánica nec arte nec Marte, nec indústria, nec commércio valet; sola prisca glória superbit.[14] Attamen pæninsulam Ibericam, ut Græci vocant, non soli *Hispani* íncolunt. Ibéria trium géntium est pátria : *Cantabrorum, Castellanorum* atque *Catalaunorum.*[15] Indústria, ártibus, navigatione et mercatura Catalauni éminent. Horum urbes sunt *Barcino, Tarraco, Dertosa,* et *Gerunda.*

*Puer alter:* Nonne, Mgtr., poeta *Martialis* in ea circiter parte natus est?

*Mgtr.* Memória tua non multum te fallit; nam *M. Valérius Martialis* (mortuus 102 P. Ch.) in Hispánia *Tarraconensi* natus est, in oppido *Bílbili*, quod nunc *Calatayud Viecha* (Hispanis *Vieja,* seu *vetus*) appellatur. Sed quis vestrum súggeret mihi nomen altérius cuiusdam Auctoris Romani in Hispánia nati ?

*Puer áliquis:* Teréntius !

*Mgtr.* Quæ sunt réliqua nómina *Teréntii?*

*Pueri álii:* Públius Teréntius *Afer.*

*Mgtr.* Itaque, si *Afer,*[16] potuitne esse Hispanus?

*Alius puer:* Séneca!

*Mgtr.* Uter? duo fuerunt: pater et fílius.

*Idem puer:* Tunc uterque: *Marcus* Annæus, et *Lúcius Annæus Séneca.*

*Mgtr.* Optime est. Philosophus ígitur L. Annæus Seneca *Córdubæ,*[17] in Hispánia Bætica natus est, quæ nunc *Andalucia,* seu *Vandalitia* appellatur. Est fortasse pulcherrima provincia Hispaniæ, ubi urbes celeberrimæ florent, veluti *Málaca, Granata, Híspalis,*[18] *Calpæ,* ad fretum Hercúleum, seu *Gaditanum,* quod Europam ab Africa seiungit, océanum autem Atlánticum et mare Mediterráneum coniungit, ac, dénique *Gades,* portus celebérrimus. At ego áliam viam secutus sum, ut Septemtrionem péterem, et antiquas urbes *Castiliæ, Extremæduræ,*[19] et *Aragoniæ* viserem. Corduba, ad Bætim,[20] igitur relicta, per ferroviam iter versus Septemtrionem flexi. Iam hoc itínere expertus sum Hispanos nihil urgére; tractus enim rari sunt, semel v. bis per diem, nec magna celeritate feruntur, subsistunt ubi lubet, étiam præter stationes, si quis conscéndere aut descéndere cúpiat. Cietra, veterata, et ad antiquam normam sunt, perinde ac carri qui útique secundum classes sint partiti, ne dívites et páuperes, próceres et plebéii se mísceant. Planítiem cursu tardiúsculo traiécimus, tum radíces cóllium secuti sumus, demum in finibus *Extremis Durii,* montes attígimus. Hic ad flumen *Anam*[21] est *Pax Augusta,* urbs antiqua, número incolarum círciter 25.000 (viginti quinque millium). Paucos dies hic degi,[22] visi quæ visu digna arbitrabar, quo peracto, iter ad Septemtrionem ingressus sum. Civitas próxima, quam iam pridem conspícere optabam, erat *Salmántica,*[23] quam longo itínere post superatos montes Toletanos, post transversas planíties, quas flumen *Tagus* írrigat, pluraque iuga móntium, quæ Hispani *serras,*[24] ab acumínibus vérticum vocant, attigi.

*Puer áliquis.* Dic Mgtr., óbsecro, qua linqua es locutus cum Hispanis? Certe ego nunquam audivi Hispanos linguarum esse gnaros. Anne tu peritus es linguæ Hispánicæ?

*Mgtr.* Linguam Hispánicam non cálleo,[25] tametsi scripta eorum satis cómmode légere possim. Verum ego, quoad eius

fíeri póterat, quando mihi cum doctióribus versari cóntigit, semper Latine loquebar, cum indoctis autem more surdomutorum,[26] per signa.

*P.* Callentne Hispani Latine?

*Mgtr.* Pro[27] dolor (fere díxerim *pro pudor*), ádmodum parum. Offénderam[28] aliquot sacerdotes et mónachos,[29] qui utcumque[30] callebant, áliqui aures arrexerunt,[31] stupefacti me contuentes, e civibus autem laicis[32] néminem réperi qui me intellexisset, áliqui me Russice, Anglice, aut Turcice eos allocutum fuisse rati.

*Puer:* Prosápia[33] Romanorum!

*Mgtr.* Ea re, profecto, supérbiunt. Attamen ego meliora spero. Salmántica relicta, *Toletum*[34] sum profectus. Eo itínere conveni álíquot viros, qui post bellum Hispánico-Americanum profligatum,[35] quasi e sopore[36] suscitati, sápere mihi videbantur. Opínio satis vulgata est Hispániam in cultura peregrina salutem quærere oportére, esseque necesse, ut iuventus Hispánica partim in Gállia, partim in Germania, Austria-Hungária Anglia atque in América educanda esset, quo fíeret, ut iúvenes reduces, pátriæ suæ novam vitam instillarent. Supérerit tunc ut ingénium gentis Romanum refóveant, linguam Latinam lítteras Romanas, exempla virtutum Romanorum recolant, vires intendant, ut agri, ut metalla,[37] ut opificina,[38] ut návigátio, mercatura, artes et indústria, sciéntiæ et lítteræ efflorescant, tum fiet ut Hispánia, donis naturæ áffluens, ad locum priscæ suæ dignitatis evehatur.

*Puer:* Suntne pueri Hispánici nobis meliores? sciuntne Latine plus quam nos?

*Mgtr.* Púeri nusquam sunt boni, semper et ubique petulantes,[39] inepti et non nauci sunt. Attamen pueri Hispánici vos Latinitate non æquant. Alias de itínere meo plus dicam.

1. **Vegetus, a, um,** id quod veget, quod est firmum, alacre, vivax.
2. **Móriger, a, am,** is qui mores *bonos* gerit, bene moratus.
3. **Ausculto[1], vi, tum,** aures præbeo, auribus sum attentus.

4. **Ferróvia ramalis.** Ferroviàm vocamus plagam, longuriis chalybeis stratam, qua nostris temporibus ordo carrorum, seu **tractus,** e carris impedimentariis, tabellariis, vectoriis, sessilibus, fumatoriis, lecticariis atque dapinaris simul copulatis coalescens, singulis aut geminis cietris vectatur. Tractus sunt *locales*, qui in vicinis locis versantur; *perviales*, qui ad ultimam usque metam tendunt; *expediti* qui ad certum locum tendunt, personarum, *onerarii*, rerum. Carri *impedimentarii*, seu *bastagarii*, sarcinas viatorum, seu vidulos, cistas, &c. vectorum complectuntur; *tabellarii*, tabellatum, seu litteras aliaque missilia, vehunt; *vectorii*, homines viatores; *séssiles*, ubi subsellia commodiora; *fumatorii*, ubi qui fumigare velint sedent; *lecticarii*, in quibus dormitur; *dapinarii*, in quibus viatores se pascunt.—**Ramalis** est plaga secundaria, velut ramus arboris, quæ se a trunco ad latus alterutrum divertit.

5. **Austro-Centralis,** est nomen fictum. Huiusmodi nominibus solent plagæ designari, prout ad centrum, seu medium, regni, aut illinc Orientem, Meridem, v. quamlibet aliam cœli plagam versus se extendit.

6. **Carruca, æ,** vocabulum Romanum, cuius locum legitimum ex inscitia vulgi "Omnibus" et "dilizans" (Gallis "diligence") usurpat.

7. **Lausanne,** urbs Helvetiæ. Institutum enim Corderianum in Helvetia fingitur esse. **Lacus Lemánus,** ad Genevam.

8. **Aquæ Sextiæ,** Gallis *Aix-les-Bains*, thermæ in Sabaudia, vulgo *Savóia*, notissimæ; *thermas* autem vocamus aquas calidas naturales, seu **balneum, i, balnea, orum, balneæ, arum,** aquæ ad se lavandum publicæ.

9. **Dr. Med.,** apud gentes Anglicas **M. D.,** ordine iniquo, titulus scholasticus, **Doctor Medicinæ,** seu præceptor artis medicæ, ut *Dr. Ph.* = Docto Philosophiæ; apud Anglos etiam inverse, *Ph. D.*, quod ordini Latino adversatur; *Dr. SS. Th.*= Doctor Sacrosanctæ Theologiæ, apud Anglos: *D. D.*, quod Latinum non est (volunt significare *Doctor Divinitatis*); *Dr. I.* atque *Dr. I. U.*=Doctor Iuris Utriusque (hoc est: Civilis et Canonici); apud Anglos *LL. D.*, quo indicare volunt "Legum Doctor," sed perperam, id enim quod docetur non *Lex* sed *Ius* vocatur. Tituli his minores, apud Anglos in infinitum aucti et multiplicati, veluti *B. A.*, *M. A.*, *B. Sc.*, &c.,= Baccalaureus Artium; Magister Artium; Baccalaureus Scientiarum, &., sunt nihil. Ex imperitia Latinitatis etiam in usum venit mulieres "Doctores" appellare, quod grammaticæ repugnat. Titulus hic Romanis erat ignotus, qui peritos artis medicæ **Médicos,** mulieres autem **Médicas** appellarunt; hæ igitur *Doctrices Medicæ* sunt vocandæ.

10. Opus præclarum Dris C. MACE, de "Utilitate Litterarum Græco-Latinarum" argumenta fere omnia complectitur, quæ studium linguarum Latinæ et Græce scientiarum cupidis commendare possint. Temporibus

nostris ob restaurandam l. Lñam Dre. C. Macé haud quisquam plus dimicavit.

11. Marseilles, in Gallia.

12. Barcelona, urbs et portus Hispaniæ Catalaunicæ.

13. Urbs quondam in Hispania Tarraconensi munitissima, quam Scipio Africanus Minor obsidione everterat; hodie *Garray*. **Hasdrubal, is**, et **Hánnibal, is** (etiam *Asdrubal* et *Annibal*, minus recte) notissimi Imperatores, seu belliduces, Carthaginiensium (Pœnorum).

14. Hispania, regnum quondam potentissimum, auctoritatem per maria longe-lateque extenderat, Americam non modo repererat, sed et sibi subegit et coloniis replevit. Coloniæ hæ in America Australi, in Mexico, et in America Mediana, excusso imperio Hispanorum, proprias Respublicas sibi condiderunt, ex ultimis vero, per Populum Americanum expulsi, Hispani demptis paucis insulis, sedibusque in Africa, omnino extorres facti sunt. Hæc non animo inimico memoramus, sed ut doctrinam proponimus, unde studiosi rerum mundanarum intelligerent magnitudinem gentium, ut singulorum hominum, virtute ac fortitudine niti. Hispania iis temporibus Latina fuit, hodie non est. Etiam sacerdotes hodie raros esse accepimus, qui Latinitatem calleant. Quum Hispani ad Latinitatem reverterint, artes pacis, natale solum, coluerint, confidimus gentem tam præclaram, regnum tam pulchrum, ad priscam suam dignitatem assurrecturum.

15. **Cantaber, bri**, Vascones, in Cantabria, seu *Biscaia*, gens, ut putatur, Turanicæ originis, fortis et bellicosa. **Castellanus, i**, incolæ Castiliæ, seu Hispaniæ Medianæ, **Hispani** proprie dicti. **Catalaunus. i**, populus vetustus, Latinitate inter omnes Romanis proximus, ingenio, industria atque habilitate reliquos antecellens. Lingua sonora a Castellanis differunt, perinde ac moribus, sed Castellanis invisi, a quibus graviter premuntur, hinc dissidia ac tumultus fereque perpetua rerum domesticarum perturbatio. Urbes: **Barcino, onis, Tarraco, onis**, (Tarragona, Tortosa, atque Gerona).

16. **Afer, afra, afrum**, *adj.* nominis *Africa*, territorium Carthaginiensium, latiori sensu tota continens Africana.

17. Cordova; Hispania Bætica, Vandalitia et partes Granatæ.

18. Servilla; **Calpæ**, Gibraltar (nomen Arabicum); **Gaditanus, a, um**, ex **Gades, ium**, Cadiz; **fretum, i**, mare angustum, quod duas continentes seiungit; aliæ aquæ angustæ.

19. **Extrema**, fluminis **Durii**, Estremadura, flumen *Duero*.

20. **Bætis, is**, flumen Quadalquivir.

21. **Ana, æ**, est flumen *Guadiana;* **Pax Augusta**, *Badajoz*, v. *Bajadoz*, seu **Pach** (pax) *Ados* (August).

22. **Dego,**[3] **degi,** (de+ago) tempus agere, morari, alicubi versari.
23. **Salamanca,** urbs Hispaniæ celeberrima.
24. **Serra, æ,** est instrumentum chalybeum fabrile, exiguis dentibus acutissimis asperum, ad ligna vel etiam metalla, secandum, serrandum. Hinc iuga montium, quæ e longinquo speciem serræ præ se ferunt, *serras*, seu *sierra* (Sierra Leone, Sierra Nevada, *h. e.*, serra leonina, serra nivata, nivibus tecta) ab Hispanis appellantur.
25. **Calleo,**[2] sum *callens*, *callidus*, gnarus, peritus, scitus, dexter, expertus alicuius rei. "Calleo Latine" = scio Latine.
26. **Surdo-mutus** (surdus, a, um, mutus, a, um) est is, qui nec audit, nec loqui valet.
27. Germani **proh** scribunt, quod non probamus, quandoquidem **h** est *littera*, non *signum*, adeoque enuntianda esset, et quidem cum emphasi.
28. **Offendo,**[3] **di, sum** (ex *ob*+fendo), se alicui rei impingere, illidere (hinc, iniuriam inferre), occurrere alicui, reperire aliquem, quem quærimus; aliquem domi offendo = invenio aliquem, v. reperio aliquem domi suæ.
29. **Mónachus, i,** vocabulum Ecclesiasticum, significat *solitarios*, seu viros, qui in claustris vitam in communitate secundum præcepta præstituta agunt.
30. **Utcunque,** = quomodocunque, nec bene, nec male.
31. **Arrigo,**[3] **rrexi, ctum** (ad+rego, ut *erigo*), vocabulum rarum, ut Æneidis Libro I., v. 156: "arrectisque auribus adstant."
32. **Laicus, i,** voc. Eccl., e Græco, est is, qui non est **clericus,** seu sacerdos.
33. Genus, stirps, generatio.
34. **Toletum, i,** Toledo, urbs Hispaniæ.
35. **Prófligo,**[1] **vi, tum,** concutio, quasso, deiicio, excutio, ad finem perduco.
36. **Sopor, is,** *m.*, est somnum leve.
37. **Metallum, i,** est caverna in terra, ex qua metalla, veluti aurum, argentum, ferrum, cuprum, stannum, &c., eruunt.
38. **Opificina, æ,** est antiquior forma vocabuli **officina**; priore significare volumus loca ubi *fabri* laborant, posteriore autem loca, ubi scribæ, typoscriptores, officiis funguntur.
39. **Pétulans, tis,** (peto, petulcus), is qui petit, impetit, assilit, qui est procax, lascivus, perfrictæ frontis, insolens, pervicax. **Non nauci,** quasi *nec nauci*, seu *nec hili* (nihili), nec flocci, nullius valoris sunt.

# COLLOQUIUM LXIII.

ARGUMENTUM: *Observator fruitur colloquio cum puero probo et experti omnis malitiæ.*

**Observator, Puer.**

TV nunquam studes: quando eris doctus?

*P.* Id, Deo iuvante, fiet progressu témporis.

*O.* Recte dicis, ínterim tamen laborandum tibi erit.

*P.* Atqui ego non sum arator.

*O.* Etiam rides?—quasi laborare idem sit quod arare.

*P.* Scio idem non esse.

*O.* Cur ergo sic respondisti? An hoc non idem est ac ridére?

*P.* Etiamsi esset; ridére nihil mali est, quum sit a natura ómnibus ínsitum.

*O.* Pergin'tu nugas dícere?

*P.* Quod dixi, verum est, verum autem dícere non est nugari; cur me immérito reprehendis?

*O.* Iure te arguo.

*P.* Quo iure?

*O.* Hoc quod te non ignorare scio *ridere* pro *írridere* usurpari, te tamen sic accepisse, ac si ego de communi *risu* fuissem locutus.

*P.* Quid mali patro, si causam meam defendo?

*O.* Pergis ígitur esse pértinax? Tibi dico, sério notáberis.

*P.* Iam, mi *Martine,* tu indignari íncipis.

*O.* Vixdum; áttamen auctóritas offícii mei sic póstulat.

*P.* At nunc audi, quæso.

*O.* Quid áudiam? tuas nugas?

*P.* Audi, inquam, ego mentiri non sóleo.

*O.* Dic ergo quod velis, bréviter, est enim mihi negótium álibi.

*P.* In primis, quum tu me admonebas, otiosus non fui.

*O.* Quid ergo? Quum nihil fáceres, annon otiosus eras?

*P.* Non eram, pace tua díxerim.

*O.* Quómodo hoc esse potest?

*P.* Explicabo, etiamsi tu hoc mélius intélligas quam ego. Quamquam ego nihil ágere videbar, cogitabam tamen áliquid boni.

*O.* Declara istud mihi.

*P.* Quum tu versus paras, sæpe diu meditaris, quasi sis otiosus, quamvis minus otiosus sis nunquam.

*O.* Pro ista ætate tua nimis acutus es. Etiamsi tecum, ut ais, otiosus non eras, tamen qui te vidérunt, possent áliter iudicare.

*P.* At ego solus eram.

*O.* Verum est, sed potuissent áliqui intervenire. Dénique, culpam non fatéberis?

*P.* Si qua fúerit culpa, in eo fuit, quod primo aspectu tibi in ótio esse videbar, re tamen vera non fui.

*O.* In eo nihil requiro, sed quid de irrisione respondes?

*P.* Certe ánimo irridendi nihil dixi.

*O.* Quo ígitur?

*P.* Iocabar, crede mihi.

*O.* Quorsum?

*P.* Ut paucis verbis fabulando, áliquid abs te dískerem.

*O.* Is ego non sum a quo multa doceri queas.

*P.* Imo tecum versatus, iam sæpe haud parum boni a te dídici.

*O.* Quid tandem vis concludere?

*P.* Ut mihi ignoscas, quando, ut vides, malo ánimo nihil peccavi, quod équidem sciam.

*O.* Bene est, ignosco, quia mihi apertus et cándidus videris, neque te unquam mendacem compertus sum.

*P.* Ago tibi grátias, *Martine*, óptime.

# COLLOQUIUM LXIV.

ARGUMENTUM: *Distantiam locorum amicitias non semper disolvere.*

**Nicolaus, Otho.**

ERGONE abis in pátriam ?

*O.* Cogor abire, nempe a patre accersitus.

*N.* Nunquamne es reversurus ?

*O.* Vix spero.

*N.* Quando proficiscéris ?

*O.* Iam crastino die, si cuncta e senténtia succedunt.

*N.* Siccine me ígitur relinques ?

*O.* Sic fata volunt.

*N.* O me míserum ! Ubi et quando amicum talem repréiam ? ubi talem studiorum sócium ?

*O.* Ne dóleas ; esto ánimo bono ; qui nos amicítia iúnxerat, álium, me longe meliorem, tibi dabit.

*N.* De Providéntia non despéro, sed de bona mea fortuna dúbito.

*O.* Si sapis, tália te non angunt. Priusquam nos amicítia iúnxerat, tu prosperasti, quin me novisses, idem experiéris quum fatis separati ac seiuncti fuérimus. Prætérea, nec separatione hac corpórea idéntidem et amicítia nostra interitura est ; quin pótius per abséntiam magis crescet, atque córpore absentes, ánimo magis præsentes érimus. Quid epístolæ, quas ultro citroque, dábimus ?—quantum solátii, quantam vim has arbitraris nobis vicissim collaturas ? Quid quod mútuo illo desidério amor ipse noster fiet et iucúndior et fructuósior ?

*N.* Veríssima sunt quæ mones, verúmtamen dolor meus, qui me ínterim áffliget, nec tolletur, nec lenietur.

*O.* Fac, ut viro dignum est ; mollíties anilis[2] ridícula est.

*N.* Recte mones. Viros dédecet ánuum more ob res, quæ fórtiter tolerandæ sunt, contristari et lamentari.

*O.* Prætérea nec funus[3] ágimus. Nulla socíetas humana æterna est. Parentes líberis, uxores maritis, amici amicis aliquando últimum *vale* dicunt. Nihil humani est æternum. Nec bona nec mala in æternum durant. Nemo sápiens dicendus est, qui rebus mutabílibus ac perituris sic se dedit, ut ab illis, nisi cum summo dolore, divelli ac separari non sinat. Mitte[4] mœrorem anilem et ridículum; veni in cœnáculum, sermocinemur de rebus nostris quotidianis, sumamus cœnam, tristitiam autem da vento.

*N.* Verba lóqueris sapiéntiæ plena. Fáciam ut divórtium[5] modo feram sapiente digno.

1. **Ultro citroque**, ex illa et ex hac parte, ex utraque parte, illinc et hinc, mutue, recíproce.

2. **Anilis, e,** *adi.* e substantivo **anus, us,** mulier senex, vétula, vetuscula edéntula (quæ dentes non habet); potissimum per contemptum et derisionem dicimus, aliquando tamen serio ac per honorem. — **Ridículus, a, um,** quod risum movet.

3. **Funus, eris,** *n.*, est actus mortuos sepeliendi; sepultura.

4. **Mitto,[3] si, ssum,** dimitto, relinquo, linquo, désero, ábigo, dispello, abiicio. **Mœror, oris,** *m.*, mœstitia, dolor ob eventum quemdam funestum; luctus, tristitia.

5. **Divortium, i,** sese ab una re ad aliam *divértere*, separari a re una, seque ad alteram vértere; separatio, diversio, aversio.

---

## COLLOQUIUM LXV.

ARGUMENTUM : *Exemplum hic statuitur amici fidi ad consilium impertiendum.*

**Messor, Vallensis.**

NON meministi præceptorem nos tam sæpe monére sólitum de fugiendis pravis sodálibus ?

*V.* Profecto bene mémini.

*M.* Subinde tamen satis negligenter pares[1] mónitis eius.

*V.* In quo vídeor tibi ea neglígere ?

*M.* Dicam tibi, si modo attente áudias.

*V.* Dic, óbsecro, palam, audiam attentíssime.

*M.* Nunquam tibi cavére vis[1] ab illo impostore.[2]

*V.* Cur mihi cáveam ?

*M.* Ne illius contagione[3] depravéris. Nosti enim eum péssimum esse.

*V.* Atque ego eum non mea culpa sequor : ipse ad me úndique accurrit.

*M.* Nimirum quia novit te habére quod des, et dare sæpe ac libenter.

*V.* Quid ergo mihi ad faciendum suades ?

*M.* Dic ei semel, sed sério: 'Quid vis amice ? cur me ubique séqueris ? Omnes clámitant te pravum esse, et ídeo nemo tuus sodalis esse vult. Proinde relinque me posthac, quæso, ne tua causa vápulem.'[4]

*V.* Quid si obloquatur et redárguat ?

*M.* Abrumpe illi sermonem, teque illi súbito subducas.

*V.* Ago tibi grátias, quod me tam fidéliter monúeris.

1. **Páreo,**[2] **ui, itum,** (*ad* pareo, *dis*pareo, *com*pareo), in conspectum venire, visibile esse, se ostendere, ad vocem venire, dicto audientem esse, obedire, obsequi, se submittere.

2. **Impostor, oris,** seu *impositor*, est is, qui aliquid falsi et fucati alteri ad credendum *imponit;* deceptor, fraus.

3. **Contágio, onis,** (**contages, is,** *f.;* Lucr., **contágium, ii,** poeticum, **contamen, inis,** *n.*), con+tango, in tactum, in contactum venire cum aliquo; se cum alio, sive mundo sive immundo, vicissim, tangere; e tactu eiusmodi aliquid impuri sibi contrahere, se per contactum inquinare, inficere; inquinatio, infectio. — **Depravo,**[1] **vi, tum,** ex **pravus, a, um,** quod non est rectum, quod est curvum, a recto aversum, incurvum, perversum; adeoque: ne e recto pravus, curvus, deversus, detortus, perversus fias.

4. **Vápulo,**[1] **vi, tum,** pœnam accipere, ferre, pati.

# COLLOQUIUM LXVI.*

ARGUMENTUM: *Puero, intellectu et ingenio tardiori, amicus consilia impertit, quo fit, ut in studiis alacrior efficiatur.*

**Gabinius. Horténsius.**

VISNE in ista ignorántia perseverare?

*H.* Deus avertat.[1]

*G.* Quid ígitur fácies?

*H.* Da mihi super hac re consílium, quæso.

*G.* Admodum diffícile est meris consíliis, quæ nihil nisi verba sunt, te ad stúdia efficaciora perdúcere. Attamen, etiamsi miro ingénio non pólleas, persuasum mihi est fíeri posse, ut indústria súppleat id, quod natura tibi negávit.

*H.* Mira narras. Iam ego, quum vidérem álios cunctas studiorum difficultates exíguo labore superare, ádeo omnem mei fidúciam amisi, ut me stúdiis meis omnino imparem iudicarem.

*G.* Non est cur despéres. Voluntas firma, et sédula diligéntia plus valent, et plus profíciunt, quam merum ingénium. Si ergo profícere vis, cura ut in schola mentem tuam omnino in præceptorem defigas, nec quidquam áliud præter sua verba animadvertas. Si quid non cápias, eum prótinus interpelles sine metu, eo enim non offénditur, pótius placet ei, et sic rem tibi explicabit, ut nullo modo errare possis. Extra scholam autem tum ego tum álii ex amicis idipsum libenter præstamus, ita ut nunquam in scholam imparatum ire tibi necesse sit. Si quid álii intra quadrantem horæ discunt, tu éidem, si necesse sit, dimídiam horam impendas.

*H.* O quam salutare et útile est quod mones, neque tam árduum, ut fácere non possim. Modo tempus mihi extra scholam non defíciat.

*G.* De ea re angi noli. Ubi voluntas est, tempus nunquam déficit. Nemo se ótio deficiente excusat, nisi qui rem

* Ex parte refectum.

non vult. Omnes edunt, bibunt, dórmiunt, ámbulant, amicos vísitant, fúnera, theatra, cœtus, et sic porro, ádeunt; ótium semper et ad ómnia súppetit quum quis vult, ad nihil suppetit quum non vult. Homo autem, præsertim índolens[1] et deses, non fácile vult id quod molestum et incómmodum videtur, vult autem, quod voluptatem pollicetur. Tu modo disce incommoda et molesta impétere,[2] dein debellare, nec dúbites quin cómmoda et amœna opportune te sua sponte assequentur.

*H.* Sapiéntia tua me miro modo delectat, et ego, crede mihi, omnis[3] ero ut consílium tuum ad amussim sequar. Otium nésciam, labores, étiam máxime arduos, non modo non fúgiam, sed étiam quæram; ut ludant et inéptiant álii, ego stúdia aggrédiar, ero attentíssimus, quum anceps[4] hæsero, amicos cónsulam, atque spóndeo et promitto tibi diligentiorem in schola fore néminem, nec sinam ut indústria me quisquam præcedat.

*G.* Si sic féceris, eris ex primis, fortasse omnino primus.

*H.* Si autem hoc factum fúerit, totum tibi in acceptis referendum habebo.

*G.* Nihil est quod mihi débeas; tua opera et indústria fiet, non mea.

*H.* *Gabini* mi, tu es amicorum óptimus!

1. **Indolens, tis,** est is, qui non dolet, qui dolorem non fert, dolere, dolorem tolerare non vult; labor et actio dolorem pariunt, qui eiusmodi dolorem pati, seu laborare et agere non vult, est *índolens*. **Deses, sidis,** est homo, qui *désidet*, *cónsidet*, sedet, potius quam laboret, seque exserat.

2. **Impeto,[3] ivi, itum,** (in+pétere), pétere, quærere proposito nocendi, assilire, aggredi, impetum facere, adoriri.

3. Totus ero, e viribus conabor.

4. **Anceps, cípitis,** (an+capiam), utrum incipiam? dubium, incertum; "quum incertus fuero."

# COLLOQUIUM LXVII.*

ARGUMENTUM: *Quæstiunculæ circa valetudinem.*

**Castellanus, Mossardus.**

QUID egisti per hos quíndecim dies?

*M.* Ministrabam matri, quæ valde ægrotabat.

*C.* Revera?

*M.* Sic, profecto.

*C.* Quo laborabat morbo?

*M.* Febre tertiana.

*C.* Iamne conváluit?

*M.* Paulatim iam convalescit, grátia Deo.

*C.* Quis eam sanavit?

*M.* Cl. *Hirudo Píllula,*[1] Dr. M., médicus noster doméstichus; novisti eum?

*C.* Non novi eum, nomen tamen audivi; est e schola veteri, seu *allópatha.*[2] Parentes mei consílio et ópera Clmi *Phíalæ Sacchararii,*[3] Dris. M., utuntur, qui quidem *homœópatha*[4] est.

*M.* Quid interest inter utrosque?

*C.* Id quod inter fígulos.[5] Utrique tamen óptima sunt erga clientes voluntate. Nos erga Clmum Drem. *Phíalam Sacchárárium,* certe ánimo gratíssimo sumus obstricti, quod fratris vitam, quum is varíolis[6] æger decubuisset, sua arte servavit.

*M.* Fuitne ántea frater tuus vaccinatus?[7]

*C.* Pater meus virus vaccinum córpori eius ínseri non sivit.

*M.* Quare?

* Ea tempestate qua hæc scriberentur, Philadelphiæ, in aliisque Americæ partibus lues variolarum grassabatur. Ratum igitur nobis visum est Colloquium hoc, missis asceticis, rationi temporum adaptare, ut usui quotidiano et utilitati inservire posset. De medicis enim ac de morbis et medicinis passim omnes colloquimur; et quum ars medica sit Latina, gentibus communis (demptis saltem apud Anglos mensuris), dignum est ut de eadem Latine tractemus.

*C.* Quod tétanus,[8] morbus multo formidabílior multoque plus exitialis virus illud séquitur.

*M.* Nos varíolas, febrim rubellam,[9] angínam, et huius géneris mala nequaquam timemus. Est enim matri nostræ antídotum[10] contra ea, cuius fórmulam[11] a sene quodam médico mater sua (mea ávia) in Gallia accepit.

*C.* Dic mihi, quæso, quid id sit; tália novisse semper útile exístimo.

*M.* Libenter; en fórmulam: sumas unum granum[12] sulphatis zinci, granum item digitalis,[13] adde aquam duorum cochleárium, permisce pénitus, tum solve totum in quátuor únciis aquæ; sume quantum cóchlear caffáticum capit, horis síngulis, per duódecim horas. Remédium istud tam morbum ipsum prótinus ábigit et ópprimit, quam sumentem eo omnino immunem facit & præservat.

*C.* Quibus remédiis utebatur in curanda[14] tua matre ?

*M.* Iam dícere non possum; scio quamdam potionem fuisse, fortasse púlveres ferventes laxativos. Nec scio utrum quininam non ministráverit.

*C.* O ista sunt média antiqua, prope obsoleta. Médici moderni iam partim ad chirúrgiam, partim ad vária *sera*[15] récurrunt. A patre téneo médicos suæ ætatis cuncta fere mala venisécio[16] et hirudínibus curasse.

*M.* Secundum rationem témporum. Laude sunt digni médici, quia ipsi plus quam álii contínuo discunt et profíciunt, álii autem, contra, præiudíciis veteratis hærent. Vide, *v. c.*, theoríam *bacillorum,*[17] quibus morbos diversíssimos, velut causæ et origini adscribunt, uti cancrum, febrim flavéolam, epilépsiam, nupérrime étiam lepram.

*C.* Et tamen hypóthesis hæc nequaquam est nova, auctor enim non álius est quam magnus noster MARCUS TERENTIUS VARRO ; ipse enim sic de ea re dísserit: "Advertendum étiam," inquit, "siqua erunt loca palústria, & propter easdem causas & quod arescunt, crescunt animália quædam minuta, quæ non

possunt óculi cónsequi, & per áera intus in corpus per os ac nares pervéniunt, atque effíciunt diffíciles morbos."[18]

*M.* Mirum est quod narras. Hoc ego plane nescivi. At *infusória,* seu bacilli, non animália sunt sed plantæ, fungi, qui in membranis humanis gérminant, victum céllulis ádimunt, easque énecant.

*C.* Iam ego hæc néscio, sed sic a me doctióribus intellexi. Quidquid tamen sit, VARRO hypóthesis auctor est; adeoque et hanc doctrinam eruditioni Romanæ in acceptis referendam esse non infitiáberis.[19]

*M.* Nec mihi in intentis[20] est. Sed iam satis, campánula nos vocat. Eamus.

1. **Píllula, æ,** reapse est **pílula,** cum uno **l,** quandoquidem diminutivum est vocabuli **pila, æ,** quæ est globus pilis fartus corioque tectus, quo pueri ludere solent; usus tamen iam ut **píllulam** sanxit. Aptum nomen fictum putabamus ad designandum medicum "antiquioris scholæ."

2. Græcum est, ex **allos**=alius,+**pathein,** pati, vultque significare: alium esse morbum, aliud, *contrarium*, remedium.

3. **Phíala** est lagenula minutula, **sáccharum, i,** est succus cannarum, in crystalla redactus, quo amara et insipida indulcamus, seu dulcia reddimus. Hoc nomine iocose solent medici allopathæ suos æmulos homœopathas appellare, quod hi sua medicamenta, trochiscos saccharaceos in phialis ministrare solent.

4. **Homœópatha, æ,** Græcum: **homos,** *idem*, **homoios+pathein,** idem, v. ex eodem malo pati; ut supra, nempe: **idem** per **idem** mederi, debellare, quasi propriis armis; hinc duæ hæ medicorum sectæ sibi adversantur; lemma his est "similia similibus curari," illis: "contraria contrariis."

5. **Fígulus, i,** is qui vasa culinaria **fingit.** Allusio est ad dictum: "Fígulus fígulum odit;" *h. e.*, homines eadem arte victum facientes sese in vicem odisse, aversari. Huic contrarium est; "Similis simili gaudet," quo ii significantur, qui ob similitudinem morum sese amant.

6. **Varíola, æ,** non est Romanum; est ex **varus, i,** qui pústulam in cuti significat, unde **várulus** posset derivari, non variolus, quod ex **várius, a, um,** posset deduci; sed quum usus sic sanxerit, nos id mutare non possumus. Febris hoc vocabulo designatur, qua fit, ut totum corpus ægroti pustulis exuratur et laceretur pus emittentibus, quæ vestigia lacera post se in corpore relinquat.

7. **Vaccinatus, a, um,** *pp.* ex *vaccino*,[1] *vi*, *tum*, est vocabulum medicum,

barbarum, e Romano **Vacca,æ,** *bos fœmina*, fictum, cuius adiectivum est **vaccinus, a, um,** Romanum. Hinc: "lac vaccinum," "caro vaccina," adeoque **virus vaccinum,** seu venenum, e corpore vaccarum elicitum. Virus, seu venenum, hoc acu tenuissima corpori humano ingeritur, quod medici "vaccinare" dicunt.

8. **Tétanus, i,** voc. Græc., rigor, rigiditas, spasmus, spasma (atis, *n.*) colli, morbus horridus, quo nervi sic rigescunt, ut maxillæ moveri nequeant. E læsione et infectione per acutam quamdam rem, quæ carnem perfodit aut lacerat, oritur, estque morbus raro sanabilis. Attamen lixivia cineris (etiam *lixivium*) recens parata e cineribus ligni, si tempestive ad macerandum et lavandum vulnus calida adhibeatur, certissimum remedium esse dicitur.

9. Aliqui medici vocabulo peregrino "scarlatinam febrem" vocant; nos vocabulum Romanum ei anteponimus.

10. **Antídotum (-us,) i,** Gr. est quasi "contra-datum," est potio contra venenum, venenum contrarium, medicamentum, quod est speciale ad obruendum quemdam morbum.

11. Forma parva, secundum quam, veluti normam, aliquid paratur, proportio varia chemica miscendi.

12. **Granum, i,** scil. tritici: est mensura apothecaria apud Anglos, ⅛ unciæ, seu 60 grana faciunt unam drachmam; 15.432 (seu 15 grana ac fere dimidium) faciunt mensuram modernam, *gramma*.

13. **Digitálís, is,** est planta.

14. **Curare,** *proprie*, est curam alicuius rei habere, non negligere, non oblivisci; rei consulere, necessitatibus providere; medicis tamen idem sonat ac **medéri.**

15. **Serum, i,** *proprie* est aquosa pars lactis coagulati; medicis est aqua medicamine prægnans.

16. **Venisécium, i,** (vena+seco, *Suet.* ), in hac forma non est Romanum; terminus technicus medicorum, significat actum venas incidendi ut sanguinem, quum nimius est, extrahant et reducant.—**Hirudo, inis,** *f.*, est animalculum aquaticum, anginæ, v. cenchridis speciem referens, quod morsu e corpore humano sanguinem exsugit, *sanguisuga*. "Non missura cutem nisi plena cruoris hirudo," ut Hor. ait de avaris.

17. **Bacillus, i,** (in Cic. **-illum, i,**) *masc.*, secundum Isid., quod diminutiva potissimum sequuntur vocabulum parens, quod est **báculus, i;** est fustis minor, est lignum teres ac tenue, quod homines in manu gestant ambulantes, præsertim lictores; sic vocant medici minima illa germina, quæ et fungos appellant, quæ aerem, aquam, totumque mundum complent, a quibus omnis prope morbus. Idem est ac *bacterion* (pl. bacteria) Græcorum, atque *infusórium* (pl. *-ia*), in liquidis. Non desunt qui bacillos anima-

lia putent. — **Cancer, cri,** *m.*, *proprie*, est animal aquaticum, ob duas fórfices, quasi manus, notissimum, medicis tamen morbum donatat, qui carnem humanam carie conficit et absumit. — **Febris flavéola,** *nos* sic vocamus febrim, quæ dicitur pallorem flavidum egrotis inferre. — **Epilépsia,** atque **lepra,** morbi, vulgo notissimi.

18. **M. T. Varro,** (mortuus 27-mo a. Ch.). Auctor Romanus notissimus, qui tractatus reliquerat duos, alterum "De Lingua Latina," qui est omnium grammaticarum prima, quam ipse M. Tullius dicturus semper consulere solitus erat, ac "De Re Rustica," cuius e Lib. I., Cap. XII. locum hunc excerpsimus.

19. **Infitior, ari, atus,** (Germanis, utique inficior), est ex in+fateor, contrarium ei quod est *fateor*, hoc est, *nego*, *denego*, adeoque "non negabis." Sæpissime "infitias ire" eius loco legitur.

20. **In intentis esse, habere,** phrasis, pro "in animo esse, habere;" esse in proposito.

---

# COLLOQUIUM LXVIII.*

ARGUMENTUM: *Monitum, ne quis sermocinando tempus terat, quum officia aliud postulant.*

**Granárius. Torquatus.**

VISNE mecum ad cómpitum exire?

*T.* Quo propósito?

*G.* Ut in ángulo consistentes, hómines et res, aliaque quæ fiunt, nosque præterire possint, cernamus, et génio indulgeamus[1]

*T.* Tace inepte, nisi ad præceptorem deferri velis. Quómodo tália suadére potes? an nescis nobis sat grávia múnera impendére, quibus a nobis prótinus satisfíeri débeat? Vagare quum potes, tempus nunc non súppetit.

*G.* Nolo te ab offício avocare. Putabam te labores iam persolvísse, alioquin te ad comitandum me non petivissem.

*T.* At ego ádmodum dúbito étiam te offício tuo iam rite obivisse.

* Colloquium istud ex integro mutavimus, quod *Corderianum* iuventuti nostrorum temporum præponendum non erat.

*G.* Non tua refert; ego pro me respondebo.

*T.* Nec profecto ego curo utrum tuis offíciis satisféceris, et æque bene scio te ipsum de hac re respondére debére, verúmtamen nec propósitum tuum placet.

*G.* Quod propósitum ?

*T.* Ut in cómpita vagemur, aut in ángulo quodam consistamus, et prætereuntes pervicaci[2] intúitu vexemus.

*G.* Quid mali est in pascendo óculos?

*T.* Quid mali? quæris? Est probrum[3] et dédecus. Nemo honestus et bene moratus id decére putat.

*G.* Sed si nullum offícium neglígimus.

*T.* Quum mens rebus honestis et modestis non occupatur, minus honesta et minus modesta quærit et réperit. Trívia et viarum ánguli nebulonum et erronum,[4] bustiraporum ac furciferorum, potórum et verberonum collíquia sunt, quo omnis fæx et sentina pópuli cónfluit et in catervas conglobatur. Si ista socíetas te állicit, vade, licet te ággreges, ego non te sequar; pro púero probo tectum paternum atque schola sunt loca aptíssima.

1. **Génio indulgére** a seriis relaxari, iucundiora prosequi.

2. **Pervicax, cis,** impudens, impudicus, frons perfricta, procax, lascivus, protervus, petulans.

3. **Probrum, i,** quod est probrosum, scandalum, infamia.

4. **Erro, onís,** vargo, vagabundus; **bustírapus,** raptor cadaverum; **furcifer, i,** est servus fur, qui furcam in pœnam, circum collum fert; **potor, is,** est potator, ebriosus; **verbero, onis,** verberandus, colaphis cædendus, qui verbera, et ut calcibus petatur meretur; **collíquium, i,** canalis, fossa, quo pluvia, et omnis aqua immunda confluit; **fæx, cis,** potissimum in plurali, alio sensu, sedimentum vini, aliorumque liquorum, aut quod in superficie flutat, spurcities, sordes; hinc dicimus liquida *defæcare*, quod est simpulo superficiem liquorum removere, aut liquida ipsa caute decantare, ut sedimentum in fundo remaneat.—Quod medici linguæ Anglicæ inde effingunt, quasi id de ventre purgando et levando intelligendum sit, est absurdum, nec nisi e versione vocabuli Anglica inscia derivatum est.—**Sentina, æ,** est aqua sordida, sub statuminibus navium quæ colligi solet.

## COLLOQUIUM LXIX.

ARGUMENTUM: *Consilia opportuna esse oportere, secundum tempora et loca.*

**Malignatus. Gassinus.**

QUID cógitas *Gassíne?* cave tibi, óbsecro.

*G.* Quid mihi cáveam?

*M.* Ne morbum contrahas.

*G.* Qua ex causa?

*M.* Ex intemperate ludendo.

*G.* Unde apparet perículum?

*M.* Inde quod totus æstuas, et sudore mades.

*G.* Recte et témpore ádmones; profecto, modum me excessisse cónscius non eram.

*M.* Desiste, si me audis.

*G.* Audio te, idque libenter, et morem tibi geram; quis enim tam salubre ac salutare consílium réspuat?

*M.* Deterge frontem malasque mucínio, et prótinus récipe te in cubile, ut vestes tuas cum siccis commutes, ne súbito refrigescas.

*G.* Hábeo tibi grátias, nam fere morbis sum obnóxius.

*M.* Quid causæ est?

*G.* Infírmitas meæ valetúdinis; vides enim quam imbecillo sum córpore.

*M.* Tanto magis debes tibi cavere.

*O.* Istud probe novi; et uterque parens nunquam cessat me monere; sed quid agas? natura proni sumus in nostram perníciem.

*M.* O mi *Gassine,* quam vera sunt quæ Poeta[1] monet: *"Nitimur in vétitum cupimusque negata."* Sciéntia non deest, fírmitas ánimi deest; ánimal fórtius est quam mens.

*G.* Et tamen mentem prævalere oportet, et hoc e senténtia ómnium sapientum, ipsius adeo naturæ præceptis.

*M.* Quis dúbitet? Attamen pauci parent.

*G.* Ideo tam multi immatura morte plectuntur.[2] Ergo ut et ego obsequar necesse est. Proinde vale *Malignate.*

*M.* Visne ut te domum cómiter?

*G.* Gratum mihi erit si hoc féceris, non tamen grátia ægritúdinis, nam in præsenti belle me hábeo, nec ea re te incommodari vellem.

*M.* Cura ergo mi *Gassine* ut váleas.

1. **Publ. Ovídius Naso.** (17 P. Chr.), Lib. III., Am., 4, 17.
2. **Plecto,**[3] lingua Classica fere semper passivum, verbero, batuo, punio, pœnam irrogo, infligo.

---

## COLLOQUIUM LXX.

ARGUMENTUM: *Gratia solius gloriæ nihil suscipiendum esse, sed bono semper esse consulendum.*

**Rubinárius. Bobussardus.**

VALDE miror cur hódie mane hic non fúeris.

*B.* Quid miraris tantópere? Hic nihil novi est: multi absunt quotídie, imo quavis fere hora.

*R.* Atqui victória tibi erat in mánibus.

*B.* Quid ego curo? Eiúsmodi victória, ut áliquis probe animadverterat, nihil áliud est quam brevis glória.

*R.* Etiamsi sit ut dicis, tamen glória utilíssima est, quandóquidem ea iuventutem ad stúdia altiora, ad facínora præclariora, et ad virtutes nobilíssimas æmulandum, movet et íncitat, quin iuventus ob eam rem inani glória tumescat et infletur.

*B.* At ego non parum dúbito púeros nostros eam esse iuventutem quæ ad æmulanda præclara facínora et exempla virtutum sic succendatur. Púeri própriam glóriam privatam quærunt, quam si assequantur, insolescunt, audaces et pervicaces fiunt, petulantes ac temerárii evadunt.

*R.* Nec hoc negare possum; vídimus enim exempla et hu-

ius rei, ubi púeros stúdio eiúsmodi inflatos præceptores compéscere debebant.

*B.* Hoc inde est, quod vis vitalis in iuventute tam humana quam animali, imo et plantarum, superabundat. Ea nec augeri, nec sine frenis evagari debet, alioquin púeri exleges et temerárii fiunt. Necesse ígitur est, ut púeri intra fines et límites cotineantur, atque ut sapientiores iis términos státuant eosque cohíbeant.

*R.* Tu ergo omne glóriæ stúdium compéscere et coercere vis, ut púeri plane nihil áudeant? Si púeros sic constrictos et subactos habere cupis, vétulæ iam evadent, non viri fortes.

*B.* Inter duo multum ínterest. Mensuram Poeta státuit:

> "*Est modus in rebus; sunt certi dénique fines,*
> *Quos ultra citraque nequit consístere rectum.*"

Glória est pulchra, glória est præclara, si est útilis sive sibi, sive suis, sive pátriæ, sive amicis et próximis, sive vero géneri humano. Ex eo, quodsi ego púerum álium lúdendo súpero, aut áleis áliquid lucror, non ádeo glória in me redundat, quam pótius *philáutia,* seu turpis sui amor, ex quo non æmulátio nóbilis enáscitur, sed cupido simultatis, fastus et arrogántia.

*R.* Sed nunc velim mihi dicas cur abfúeris.

*B.* Scripsi ad patrem lítteras.

*R.* Cuius nómine?

*B.* Matris.

*R.* Ipsane tibi dictavit?

*B.* Quid scripsissem nisi dictasset?

*R.* Quid continebant lítteræ?

*B.* Longum esset id tibi narrare.

*R.* Dic saltem eorum argumentum.

*B.* Várium erat et múltiplex; cæterum, quid, quæso, tua scire refert?

*R.* Utique, nihil, si verum fateri débeam.

*B.* Cur ergo tam ávide quæris?

*R.* Animi causa tantum, ut fere curiosi sumus áliquid novi audire.

*B.* Nihil áliud quam garris; sine me.

*R.* Tamen, ausculta paucis.

*B.* Esto, ausculto ; lóquere, quid vis ?

*R.* Scire cúpio ubi pater tuus sit.

*B.* Quasi vero néscias.

*R.* Unde scirem ?

*B.* Quum tibi sit notissimus, quumque simus vicini; non putassem te ignorare.

*R.* Dic tandem, quæso.

*B.* Est Lugduni.

*R.* Quando est eo profectus ?

*B.* Diebus ab hinc quatuor.

*R.* Quid illic agit ?

*B.* Negótia ágitat.

*R.* Quando redibit.

*B.* Post finitas núndinas.

*R.* Quam mox finientur ?

*B.* Roga negotiários, non est meum tália novisse.

*R.* Quid ergo tibi curæ est ?

*B.* Plúrima ; véluti offícia erga Deum, erga parentes, præceptores, amicos, próximos, mea stúdia, aliaque istius géneris.

*R.* O tu præclare lóqueris ; sed dic mihi sério, potesne rebus tantis suffícere ?

*B.* Egone istud mihi assumo ? quin pótius hæc mea offícia esse cognosco, sed cuncta rite adimplere, vel etiam incípere, vix penes me esse séntio.

*R.* Quid ergo de te fiet ?

*B.* Quid de me fiat, aut quo devéniam, penes Deum bonum relinquam, partem tamen meam viríliter fáciam, Deus enim eos tantum iuvat, qui se pro víribus iuvare conantur.

*R.* Etiam ingeniose dicis; quid prætérea a te requiram ?

*B.* Iam quæsivisti satis, fortasse plus quam satis, ego autem

certe respónderam satis; decére ígitur puto, ut sermoni nostro finem faciamus.

*R.* Opportune, iam enim horológium sonat.

---

## COLLOQUIUM LXXI.*

ARGUMENTUM: *Pueri duo de variis usibus chartæ secum colloquuntur.*

**Russetus. Monachenus.**

VNDE venis?

*M.* Foris.

*R.* Quid[1] prodivisti?

*M.* Ut émerem chartam.

*R.* Emistine?

*M.* Emi aliquantum.

*R.* Quantum emisti?

*M.* Aliquot fílaras.[2]

*R.* Quanti?

*M.* Uno denário.

*R.* Quod genus?[3]

*M.* Communem scriptóriam.

*R.* Ostende mihi.

*M.* En, ínspice, si velis, atque si discrímen génerum et qualitatum tibi cógnitum est, dícere mihi póteris rectene an male émerim.

*R.* Chartárius quidem non sum, res tamen mihi non est pénitus ignota. Charta ista satis bona esse videtur. Multum refert quem in usum eam adhibére velis.

*M.* Inepte bláteras;[4] quem in usum nisi ad scribendum adhibere vellem?

*R.* Quin tu ineptis, non ego. Nam nec omnes chartæ pro scriptione fiunt, et étiam inter vária scribenda et scriptiones

* Ex maxima parte refectum. loca enim auctoris probanda non erant.

summum discrimen ínterest. Certe lítteras amicas non in eiusdem géneris chartis scríbimus quam acta,[5] recursus, instántias, petitiones, quietántias et diplómata. Aliæ chartæ sunt pressóriæ,[6] pro diáriis, registris, catálogis, encyclicis, &c., quæ bíbulæ sunt, nec scriptionem patiuntur; áliæ sunt læves,[7] tinctæ, linitæ, ad cæsuras[8] et cælaturas recipiendum; dein, áliæ sunt télulæ,[9] documentáriæ, membranáceæ, vulgo *pergamenæ*, áliæ denique laminulæ.

*M.* Videsne quam útile fuit me oblocutum tibi fuisse? Nisi enim hoc fecissem, ista me nunquam docuisses. Ego quidem ária génera chartarum vidi, discrímina tamen non tam accurate perspexi.

*R.* At étiam tu úteris codicillis[10] et pugilláribus, quorum ália lineata et rubricata sunt, ália alba; hæc a macrocolis certe discernis, alioquin nescires quódgenus chartæ a chartário petendum tibi esset.

*M.* Aliquando emo chartas epistolárias pro matre et sorore; eæ semper notulares[11] politíssimas me pétere iubent, aliquando línteas[12] textas, aliquando stratas. Sic ego mihi demandata chartário trado, nec unquam fallor.

*R.* Et quantum chartæ soles sic émere?

*M.* Plerumque síngulas capsas.[13]

*R.* Capsæ eiúsmodi cóntinent unum scapum,[14] seu viginti et quatuor fílaras, et tótidem invólucra, cum bíbula. Sic émimus minutim, a minutuláriis; magnarie, seu *per aversionem*, ut dicunt, per rhysmata émimus, véluti editores periodicorum, librorum, aliique.

*M.* Certe nostra ætas iam nec áurea, ne férrea quidem appellari potest, sed chartácea; tantus enim est chartæ usus.

*R.* Quid si his addas monetam chartáceam, pittácia,[15] tessellas, sítulas, fumas, rotas vectabulorum, et ália prope innúmera, quæ ne memorare quidem possemus? Sed de his háctenus. Vide púeros a lusu redeuntes. Festinemus in aulam.

1. **Quid** prodivisti? Est Romanus modus dicendi: sequiori Latinitate iam addimus **Ad quid, Ut quid,** aut vero aliis vocabulis eo fine utimur, veluti, **Quare** prodivisti? **cur** prodivisti, quod nobis **quid** iam non sufficere videtur.

2. **Fílara, æ,** nobis ex auditu tantum notum vocabulum, origine ac derivatione ignotum.

3. **Quod genus, id genus,** semper ut vocabula una efferuntur, licet separata scribantur, sic **quódgenus, ídgenus.**

4. **Blátero,**[1] **vi, tum,** stulte, inepte loqui.

5. **Actum, i,** est id, quod iam finitum est, de quo **actum est. Recursus, us, instantia, æ, petitio, onis,** sunt scripta petitoria: *recurrimus* ad Principem, ad Senatum, nomine Communitatis, Regni, civium, quum ius aut privilegium petimus; *instantia* est unius, ad unum, se potentiorem, aut ad auctoritates, ad favores impetrandos; *petítio*, est terminus generalis. **Quietántia, æ,** est idem quod **ápocha,** veterum, seu scriptum, quo creditor creditam pecuniam accepisse agnoscit. Differt ab hoc **acceptílátio,** qua debitor a se debitum repensum fuisse testatur, non scripto, sed verbis. *Quietantia* Latinitatis sequioris est, qua creditor mentem *quietat* debitoris, eum nihil ultro debere. Huc spectant **Reversales,** seu litteræ editæ in fidem accepti depositi, sequestri aut commissi, item, quibus aliquis se ad aliquid faciendum aut omittendum se scripto obligat. E *quietántia* est Germanorum *Quittung*, et Anglorum *Quit*, atque *Quitclaim*. **Diploma, atis,** est scriptum, quo iura, privilegia v. honores alicui ab auctoritatibus publicis, aut privatis, conferuntur.

6. **Pressórius, a, um,** e verbo **premo,**[3] **pressi, ssum;** chartam hic indicare volumus, cui diurnalia, libri, &c. imprimuntur. **Diárium,** vel **diurnale, is,** *n.*, est folium chartæ, cui famæ, rumoresque actorum et eventuum cuiusque diei descripta typis inscribuntur & imprimuntur. **Registrum, i, catálogus, elenchus,** sunt species libelli, qui nomina mercium, rerum aut hominum complectitur. **Encyclicæ** sunt folia, aut libelli, qui gratuito disseminantur ad aliquid proclamandum & denuntiandum in vulgus, seu publicum.

7. **Lævis, e,** quod non est asperum; lævigatum; **tinctus, a, um,** ex **tingo,**[3] **xi, ctum,** quod vicissim e **tango** derivatur, est coloribus varium; **linio,**[4] **linivi, tum,** (etiam *lino*,[3] *levi*, *litum*), pigmento v. alia re eiusmodi obducere; hic chartam indicat fuco albo abductam, admodum lævem et fulgidam, cui imagines in libris illustratis imprimuntur.

8. **Cæsura, æ, cælatura, æ,** id quod est *cæsum*, (cædo,[3] cecidi, -sum), quod est *cælatum* (cælo,[1] vi, tum) ex **cælum, i,** quod est instrumentum chalybeum, fabrile, ad cædendum foramina quadrata in ligno, potissimum cum manubrio ligneo, ope cuius ictibus paviculæ ligno impellitur. Icones, sigilla, solebant sic ligno incidi, quæ ad libros illustrandos chartæ imprimebantur.

Ad parandas imagines eiusmodi, seu cæsuras, iam alio modo proceditur, nempe rosione per acida in superficie metallica.

9. Charta his temporibus plerumque fit e fibris ligneis, e stamine, e folliculis zeæ (tritici Turcici, v. Indici), atque oryzaceis, nec nisi genera subtiliora e pulpo lineo, ut antea. E lino (et cannabi) fit *tela*, tela veterata et lacera emundata in pulpum maceratur et digeritur, unde fit charta linea, cuius species tenuissima, plane pellucida, fere ut araneæ, est *télula*. Charta autem, cui memoriam alicuius rei actæ inscribunt, est *documentária*, quia sic publicum aut posteritatem eam rem *docent*. Charta denique *membranácea* ea est, quæ speciem membranæ, seu pellis animalis tenuissimæ præ se fert, est fortior ac durabilior, est autem in imitationem veterum, qui documenta membranis inscribere soliti sunt. Nomen est a *Pergamis*, urbe in Asia Minori.

10. **Codicillus, i,** codex (caudex) parvus, tabella chartácea, ad scribendum. **Pugillare, is,** *n.*, libellus pro notis, quem semper paratum ad **pugnum**, seu manum, habemus. **Lineata** charta est, in qua lineæ plerumque cæruleæ impressæ sunt; **rubricata**, autem, in qua lineæ *rubræ* per transversum (per decussim), a capite ad calcem, aliquando una, alias plures ductæ sunt, ut charta quasi reticulata esse videatur. **Alba**, eo sensu quo Romani librum "album" elenchum nominum intellexerunt, ubi *nihil aliud* scriptum fuit, Galli autem *blanc* chartam vocant, in qua *nihil* est scriptum. **Macrocolum,** (v. **-collum**) est charta formæ integræ, magna, non plicata.

11. **Notularis, e,** est charta, in qua *epistolia*, seu epistolas familiaribus scribimus; forma minor. **Politus, a, um,** lævis, non aspera.

12. **Linteus, a, um,** ut **lineus, a, um,** id quod est e lino. **Textus, a, um,** charta, cuius fibræ contextæ sunt; **stratus, a, um,** autem ea est, cuius pulpam in reticulas *sternunt*, cuius rei vestigia trans chartam velut "lineæ aquales" transparent, charta autem texta transversum visa est quasi nubila ac nebulosa.

13. **Capsa, æ,** est vas, quod aliquid *capit*, cápsula, cistella, pyxis.

14. **Scapus, i,** quia veteres chartam in speciem *scapi* convolutam emere solebant. Volumen eiusmodi plures filaras continebat. Nos 24 eiusmodi filaras unum *scapum* vocamus. **Involucrum** est opérculum, cui epistolam scriptam imponimus, atque insignaculum cui inscribimus. **Minutulárii** sunt mercatores, qui merces *minutim* vendunt; **magnarii** qui magnarie, quod Romani, præsertim iurisconsulti, "per aversionem" seu per *effusionem*, appellarunt, magna copia, vendunt. **Rhysma, atis,** *n.*, Arabicum esse volunt, nos Græcum id putamus, a plicando, inflectendo; hoc nomine omnes fere gentes vocant 480, vel 500 filaras chartæ.

15. **Pittácium, ii,** appellamus frustula chartæ, seu schedulas, cuius facies

altera gummi est illita, præsertim quas litteris adglutimus, eoque modo vecturam tabellariam solvimus. **Tessella, æ,** est chartula, quam si theatrum intrare, v. ferrovia iter facere velimus, redimere debemus. **Situla, æ,** est aquale, seu vas sat amplum, ad hauriendum, vel in loco quodam servandum aquam ; **fuma, æ,** est modernum vocabulum, quo rem fumatoriam intelligimus, quem viri tabacca replent, qua incensa, fumum per **sugibulum** (**-i**) in os insugunt et respirant.

---

## COLLOQUIUM LXXII.

ARGUMENTUM: Hugo & Blasius *atramentum miscere tentant. E duobus malis aliquid boni efficiunt.*

**Hugo. Blásius.**

HABESNE bonum atramentum ?

*B.* Cur istud rogas ?

*H.* Ut, si hábeas, des mihi aliquántulum.

*B.* Eho, tune non habes ?

*H.* Hábeo quidem, sed est eiúsmodi, ut eo uti non possim.

*B.* Quid ei áccidit ?

*H.* Nihil áccidit, sed tam spissum[1] est, ut pennam ei intingendo, fere forámina in eo fódere possim.

*B.* Nescis dilúere ?

*H.* Non est aqua ad manum.

*B.* Dílue vino.

*H.* Multo minus.

*B.* Quid si aceto[2] díluas ?

*H.* Si id fácerem, chartam perflúeret.

*B.* Quî scis ?

*H.* A magistro quodam sic audivi aliquando, qui me primus scríbere docúerat.

*B.* Ego autem áliud quid audivi, magis mirum.

*H.* Narra mihi, sodes.

*B.* Quid mihi dabis ?

*H.* Nihil ; an non satis tibi est me áliquid docuisse ?

*B.* Verum est. Audi ígitur quod olim a pædagogo quodam

meo dídici. Atramentum, quod aceto liquefácimus, ægre elúitur.

*H.* Sic esse potest, intérea tamen da mihi módicum in usum præsentem.

*B.* Bene est, fáciam. Tene ígitur atramentárium[3] tuum, huc ádhibe, infundam ei ex meo.

*H.* Ecce, fac infundas. Vah, quam líquidum tuum est.

*B.* Fortasse iusto minori gummi[4] caret.

*H.* Sed quam décolor prætérea !

*B.* Utere eo quale sit, non enim mélius hábeo.

*H.* Quid ígitur fáciam ?

*B.* Hem, inepte, non potes nunc utrumque cálamo tuo bene miscere ?

*H.* Miscui iam quantum satis, quid ultérius fáciam.

*B.* Infunde rursus in cornu[6] meum.

*H.* Fáciam ; admove própius, sic, estne nunc satis ?

*B.* Preme gossypium[7] cálamo.

*H.* Iam sic compressi, ut prope sit áridum ; quid erit tandem ?

*B.* Atramentum bonum, aut saltem mediocre.

*H.* Mediócritas, ut régula vitæ, bona est ; quæri tamen potest, utrum e duabus rebus malis tértia quædam bona érui possit.

*B.* Quum permiscúero, tibique novum atramentum in cornu infúdero, póteris experimentum iudicare.

*H.* Hoc videre vehementer cúpio.

*B.* Pórrige nunc atramentárium tuum.

*H.* Ecce, infunde. *'Ohe, iam satis est,'*[8] quæ isthæc est profúsio ? plus mihi dedisti quam quod tibi mansit.

*B.* Commisce íterum étiam atque étiam.

*H.* Nunquam posset coquus sua iura & condimenta accurátius confúndere.

*B.* Fac nunc tandem perículum.

*H.* Dicta mihi áliquam senténtiam, ut ínterim áliquid discam.

*B.* *"Experiéntia," ut vulgo dícitur, "est rerum magistra."* Habesne ?

*H.* Dicto cítius.

*B.* Scílicet iam pridem tenebas.

*H.* Quis id ignoraret, quod ádeo vulgare est ?

*B.* Nunc videamus atramentum.

*H.* Res mélius apparebit, ubi scriptura bene desiccata fúerit.

*B.* Quid vis lóngius exspectare ? iam plus satis sicca est.

*H.* Oh, vide, quam sit nigra !

*B.* Nonne tibi dixi ?

*H.* Oportet te iam ántea perículum istíus géneris fecisse.

*B.* Eo magis constabit experiéntiam rerum esse magistram.

*H.* Quin étiam vel hinc experiri nobis licet, e mixtione rerum temperamentum fieri bonum.

*B.* Iam íncipis áltius philosophari ; tempus est ut discedam.

*H.* O longum sermonem de níhilo !

*B.* At me nihil pœnitet, alioquin ótio et inértia debebamus torpére.

1. **Spissus, a, um,** est fere idem ac densum, crassum ; sed potissimum de liquidis adhibetur.

2. **Acetum, i,** est liquor acidissimus, ad condendum cibos. **Acídulum,** contra, est aqua fossilis, quam vulgo *mineralem* vocant.

3. **Atramentárium, i,** est vasculum, in quo *atramentum,* seu liquidum nigrum quo scribimus, servare solemus.

4. Indeclinabile.

5. **Decolor, oris,** quod sine colore est, vel cuius color deterior factus est.

6. **Cornu, us,** *n.*, vasculum, ad atramentum, v. aliud quid continendum.

7. **Gossypium, i,** est lana plantarum, Anglis *cotton,* Germanis *Baumwolle,* etiam nostra adhuc ætate ii, qui atramentum secum gerunt, cornua, seu *calamaria,* v. atramentaria, non solent penitus complere, sed quantum gossypium vasculo inclusum absorbére potest, cui sic saturato pennam leni pressione admovent, sicque pennam tingunt.

8. Plaut. *Stich.* v. 4. 52 ; Hor. *Sat.* I., 5, 12, &c. phrasis multum usitata.

COLLOQUIORUM SCHOLASTICORUM

MATVRINI CORDERII,

PRÆCEPTOREM INTER ET DISCIPULOS

# LIBER III.

## COLLOQUIUM I.

ARGUMENTUM : *Exemplum pueri mature surgentis commendatur*

**Discipulus. Præceptor.**

SALVE Præceptor !

*P.* Salvus sis, puer mi.[1] Bene mane surrexisti ; etiamne cæteri omnes lecto excesserunt ?

*D.* Omnes, Præceptor, præter párvulos ac debiliores.

*P.* Numquis ægrotat ?

*D.* Nemo singulari modo, quod sciam.

*P.* Quid ágitur ?

*D.* Aliqui adhuc se induendo, lavando, ornando natinantur, álii autem iam ad scrínia[1] se contulerunt, et iam student naviter.

*P.* Hæc audire me ádmodum delectat. Nihil scio quod tam córpori quam menti totique índoli tam salubre sit tamque conducat, quam prima luce súrgere, atque mente sic recreata, ánimo álacri sobrietatis offícia occípere.[2] — Etiamne hypodidáscalus iam ínterest.

*D.* Vidi eum inter primos.

*P.* Valde placet. Ite ígitur, et primum offícium vestrum

absolvatis, précibus matutinis Creatori pro salute concessa grátias reddendo. Dein, redite ad stúdia vestra bono ánimo, donec pro ientáculo pulsetur.

*D.* Idem quod quotídie fácere solemus.

*P.* Idem omnino. Atque quóniam offíciis vestris ad amussim rite fungi vos vídeo, laudem a me merémini. Videndum tamen ne quis vestrum tam multo mane somniculosus sit, eum enim reprehéndere deberem.

*D.* Grátiam tibi habemus, Præceptor humanissime. Raro fit ut alícui nostrum sopor obrepat.[3] At offícium me vocat, vale Præceptor.

*P.* Vale mi puer.

1. **Scrínium, i,** est ex *scribo*, mensa scriptoria, scriptórium. **Náviter,** scite, dextere, cum industria.
2. **Occípere**, inchoare, incipere, aggredi.
3. **Obrepo,[3] psi, ptum,** aliquid, v. aliquem furtim approximare, adire sine strepitu; hinc **reptília,** quæ *repunt*, v. serpunt, uti angues, lacertæ, testudines, &c.

---

## COLLOQUIUM II.

ARGUMENTUM: *Puer quidam de sermone sacro interrogatus, respondere non poterat; quapropter a præceptore obiurgatur, parumque abfuit, quin verberibus pœnam dederit.*

**Præceptor. Discipulus.**

INTERFUISTINE contioni sacræ hódie?

*D.* Intérfui.

*P.* Qui sunt testes?

*D.* Multi ex condiscípulis, qui páriter interfuerunt, testari possunt.

*P.* Tum áliqui eorum adducendi erunt.

*D.* Adducam quum iússeris.

*P,* Quis ad contionem dixit?

*D.* Clarissimus ac Reverendus N. N.[1]

*P.* Quota hora incepit ?

*D.* Séptima.

*P.* Unde sumpsit thema ?

*D.* Ex Epístola Sancti Pauli ad Romanos.

*P.* Quoto cápite ?

*D.* Octavo.

*P.* Adhuc bene respondisti ; nunc videamus quid sequatur. Ecquid memóriæ mandasti ex auditis ?

*D.* Nihil quod referre possim.

*P.* Nihilne ? cógita paulisper, & vide ne turbéris, quin esto ánimo bono.

*D.* Certe, Præceptor, reminisci nihil possum.

*P.* Ne verbum quidem ?

*D.* Prorsus nihil.

*P.* Hem, nébulo,[2] quid ígitur profecisti ?

*D.* Néscio, nisi quod intérea a malis abstínui.

*P.* Etiam istud est áliquid, si modo fíeri pótuit ut a malo omnino te abstinúeris.

*D.* Profecto, me abstínui quoad pótui.

*P.* Demus[3] ita esse, attamen offício erga Deum non satisfecisti, quum Scriptura[4] dóceat: "*Declina a malo, & fac bonum.*" Sed dic mihi, quæso, qua potíssimum grátia[5] illuc ivisti ?

*D.* Ut áliquid díscerem.

*P.* Cur id non fecisti ?

*D.* Non pótui.

*P.* Non potuisti, nébulo ? imo noluisti, aut certe non curasti.

*D.* Cogor fateri.

*P.* Quæ res te cogit ?

*D.* Consciéntia mea, quæ me apud Deum accusat.

*P.* Recte dicis, útinam ex ánimo.

*D.* Equidem ex ánimo dico.

*P.* Esse potest; sed dic, quid causæ fuit, quare nihil memóriæ mandáveris?

*D.* Negligéntia mea, non enim diligenter audiebam.

*P.* Quid ígitur faciebas?

*D.* Idéntidem dormiebam.

*P.* Ita soles; sed quid agebas réliquo témpore.

*D.* Cogitabam mille inéptias, ut solent púeri.

*P.* An ádeo puer es, ut salutária mónita ministri[6] sacri mente non cápias?

*D.* Si attentus essem, cáperem, nec dúbito quin áliquid profícerem.

*P.* Quid ígitur meruisti?

*D.* Vérbera.

*P.* Meruisti, profecto, idque largíssime.

*D.* Ingénue confíteor.

*P.* Verbo tenus,[7] opinor.

*D.* Imo certe ex ánimo.

*P.* Fortasse; áttamen plagas non effúgies, fac sis paratus.

*D.* Ah, Præceptor, parce mihi, ignosce fragilitati meæ, óbsecro, fáteor me peccasse, non tamen ex malítia.

*P.* Atqui tam supina ista tua negligéntia malítiæ próxima est.

*D.* Non équidem infítior, sed ad tuam recurro cleméntiam. Esto mihi propítius!

*P.* Quid ígitur fácies, si vice hac tibi ignóvero?

*D.* Fáciam posthac offícium meum, ut spero.

*P.* Addendum erat, "*Deo iuvante*;" sed tu id parum curas.

*D.* Imo, Rræceptor bone, *Deo iuvante,* offícia posthac revera præstabo.

*P.* Esto, hac vice, ob lácrymas tuas culpam condono, tibique ea lege ignosco, ut promissi memíneris.

*D.* Grátias tibi reddo, Præceptor humaníssime.

*P.* Si promissis stéteris, in máxima grátia apud me eris.

1. **Clarissimus, Clmus, Cl.** Romanis usitatum, non tamen solebat nominibus perpetuo præfigi, ut apud nos. **Reverendus, Rdus.**, vocabulum quidem Romanum, eo sensu tamen nunquam adhibitum ; est titulus Cleri Romani, mutabilis secundum gradus, sic: Multum Rdus, Admodum Rdus., Reverendissimus; item, Venerandus, Multum Ven., Adm.Ven. — **N. N.** quasi "Nomen," v. *N*ullum *N*omen; his litteris indicamus locum, ubi nomen alicuius scribendum esset.

2. **Nébulo,** vocabulum reprehensionis, quo homo significatur nullius frugis, improbus, qui est velut *nébula*, fucus, impostor.

3. **Demus** (do, dare, dedi, datum), concedamus, ponamus, supponamus, assumamus, gratia exempli, quasi ita sit; ac si ita esset.

4. Latinitate Christiana libri sacri Hebræorum, quos Græci *bíblion*, plur. *bíblia*, seu *librum* (*libros*) per excellentiam vocant, hoc nomine appellantur, ideoque semper littera capitali scribitur.

5. **Qua grátia, cuius grátia,** &c., sunt phrases Romanæ, cuius rei causa? ob quam causam?

6. **Minister, tri,** ex *minor*, quasi *minaster*, ut *oleaster*, qui minor est iuxta alterum, *maiorem* ; *minulus*, e duobus minor ; servus minor, adiutor servi; adiutor ; adiumentum cuius ope aliquid facimus: ut baculus, cui ambulantes innitimur ; adiutor sacerdotis, sacerdos minor ; Latinitate ecclesiastica : servi doctrinæ Divinæ, prædicatores doctrinæ Christianæ.

7. Verbis tantum, pro specie ; Romanum est.

---

## COLLOQUIUM III.

ARGUMENTUM : *Præceptor animadvertit unam classem prælectore carere; alium protinus accersit.*

**Martinus fámulus, Præceptor.**

PRÆCEPTOR, rogo, nemo adest qui in Classe sexta prælegat.

*P.* Quid hoc rei est? Ubi est Magister *Philippus?*

*M.* Morbo subitáneo detentus, in lecto est.

*P.* Quî scis?

*M.* Unus discipulorum privatorum eius huc accurrens núntiat.

*P.* Dic prótinus hypodidáscalo meo.

*M.* Non est in stúdio suo.

*P.* Unde tibi constat?

*M.* Quod iánuam eius ter-quaterque pulsavi.

*P.* Renúntia doctori classis primæ, rogaque ut áliquem e suis prótinus huc déleget.

*M.* Quid si delecturum se neget?

*P.* Abi, inepte; an eum tam impudentem putas, ut hoc recuset? Abi prótinus, própera!

---

## COLLOQUIUM IV.

ARGUMENTUM: *Præceptor docendo intentus, e classe sua foras vocatur.*

**Bordonus. Præceptor. Discipuli.**

PRÆCEPTOR.

*P.* Hem, quid rei est?

*B.* Aliqui sunt hic qui te convenire volunt.

*P.* Ubi sunt?

*B.* In vico te exspectant.

*P.* Ibo statim.

*B.* Atqui urgent.

*P.* Age, præcurre tu, et introduc eos in áream; ego te prótinus sequar; vos autem ínterim cum siléntio exspectate, mox vobis ádero, vosque pro cœna dimittam.

*D.* O verbum, quam bene auspicatum!

---

## COLLOQUIUM V.

ARGUMENTUM: *Exemplum ineptiarum puerilium, ad ostendendum pueros magistro aures præbere oportere.*

**Canellus, Præceptor.**

PRÆCEPTOR, quid reddemus cras mane?

*P.* Hódie mane, ante scholam dimissam, palam enuntiavi.

*C.* At ego, Præceptor mi, tunc non intérfui.

*P.* Roga ígitur condiscípulos; nam si quisque vestrum ob res a me palam edictas me interpellaret, quando, quæso, finis esset? Itaque fac sis posthac prudéntior.

*C.* Curabo pro víribus.

*P.* Sed ubi eras tu intérea?

*C.* Foris eram.

*P.* Quid prodivisti?

*C.* Ut negótium quoddam curarem a patre per lítteras mihi commissum.

*P.* A quo petivisti véniam exeundi?

*C.* Ab hypodidáscalo.

*P.* Cur non pótius a me?

*C.* Quod negótiis eras detentus.

*P.* Quid agebam?

*C.* Viros áliquot honorábiles alloquebaris in área, qui te conventum vénerant.

*P.* Abi nunc, iam recordor.

---

## COLLOQUIUM VI.

ARGUMENTUM: *Præceptor ad observatores publicos de officiis suis fusius dicit.*

**Præceptor. Fámulus. Observator.**

HEUS, MARTINE.

*F.* Hem, præsto sum, here.[1]

*P.* Accerse mihi huc quinque observatores públicos, quos hesterno die in hunc mensem elegi, intélligis?

*F.* Optime; nam et ego intérfui.

*P.* Sunt, opinor, in suo quisque auditório; festina.

*F.* Redibo sine mora.

*O.* Adsumus omnes, Præceptor, quid placet tibi imperare?

*P.* Satis erat iubére, nec enim sum Imperator, nec Magistratus. Ego vos huc accersendos iussi, ut vos offícii vestri

cómmonefácerem. Vos ígitur attentis áuribus atque ánimis audite. Non ignoratis quanto quamque bono in vos ánimo vos hesterno die in aula nostra communi elégerim. Auspicati sumus a sacris précibus, sequuta est admonítio nostra atque exhortátio ad omnem cœtum scholásticum de timendo Deum, deque móribus, qui studiosos, quotídie in schola versantes, decent; deinde non sine optimorum adolescentum testimónio vos elegi quinque quos ad hoc munus idóneos existimarem; postremo ventum est ad secundam, cum gratiarum actione, precationem. Ne ígitur putetis ludum fuisse aut iocum actionem illam, in qua Numen Divinum tam studiose fúerit invocatum. At, licet apud imperitos aut arrogantes hoc munus & vile & abiectum videatur, vos tamen crédite quum honorificum tum sanctum esse vestrum istud ministérium. Quod si áliter existimatis, fieri non potest ut múnere vestro recte fungámini. Itaque ego vos hortor quantum possum, ac per Deum obtestor, ut cum timore Dei ac reveréntia diligéntiam præstetis in iis ómnibus, quæ intelligetis ad offícium vestrum pertinére. Absit ígitur a vobis omnis favor, grátia, stúdium vindicandi & simília, quæ transversos[2] agunt hómines, ac sincerum corrumpunt iudícium. Ne timeatis improborum minas,[3] qui pusilli[4] animi adolescentes ab offício obsterrére solent. Quam enim habent in vos potestatem? Pótius eum timete qui vester est Dóminus, qui in vos vitæ necisque habet potestatem. Illíus, inquam, tanti Príncipis timor vobis ob oculos obversetur. Incurretis, scio, aliquorum improborum ac dissolutorum ódium; sed sit vobis pluris unius Patris cœlestis amor & cháritas, quam omnes ómnium hóminum inimicítiæ. Estote semper mémores verbi illíus, quo Servator noster & summus Præceptor, suos discípulos ad constántiam hortabatur. *Si vos,* inquit, *odit mundus, scitote me quoque ante ódio habuisse.* Vos ígitur ob Christum ipsum omnes flocci fácito[5] nebulonum minas, convitia[6] & inimicítias, dúmmodo glóriæ Dei fidéliter servire queatis. Hæc sunt, de quibus

nunc, pro témporis brevitate, vos admonendos esse existimavi, præter illa quæ vos in aula hesterno die audivistis.

*Primus Obs.* Máximas tibi grátias ágimus Præceptor humaníssime, precabimurque, ut Deus dona sua tibi in diem magis adáugeat. A te vero vehementer pétimus, si tibi molestum non est, præscriptam de nobis hortationem tuam, quo illam inter nos quandoque relegentes, memóriæ tenácius infigamus.

*P.* Id ego fáciam primo quoque[7] témpore; quandóquidem rem sane honestíssimam postulatis.

*Pr. Obs.* Optamus étiam abs te, si placet, commentaríolum scriptum habere de præcípuis offícii nostri capítibus, ut simus certiores, quid potíssimum sit nobis hac in re observandum.

*P.* In ipso témpore me admones, & ipse iam pridem sic in ánimo habebam; sed me quotídie áliud ex álio impedivit. Dabo ígitur eiúsmodi commetaríolum, quod vidélicet contíneat quidquid ad observatorum publicorum offícia pertinebit. Id autem describetis ex ipso archétypo[8] meo, quod ídeo servare volo, ut cæteris, quoque trádere possim futuris observatóribus. Nunc redíte in suum quisque auditórium.

*Ob.* Recta imus, Præceptor.

1. **Here,** ex **herus, -i,** dominus, seu proprietarius servorum, familiæ; **dominus** autem, qui domum habet propriam. Inde est Germanorum **Herr.**

2. **Transversus, a, um,** quod non est rectum, contrarium, **per decussim,** velut crux; homines adversarii.

3. **Minæ, arum,** e verbo **minor, ari,** et **mínitor, ari, atus,** promittere aliquid mali, malum quoddam inferre, aut illatum iri promittere; malum ipsum inferendum, v. actus inferendi sunt *minæ.*

4. **Pusillus, a, um,** parvus, exiguus, angustus animus.

5. Facite nihili; parvi, nihil curate, spernite.

6. **Convítium, i,** scomma, derisio, insultus, maledictum, suggillatio, ludibrium.

7. Quovis, aliquo, quodam.

8. **Archétypus, a, um,** quod est primo factum, originarium.

# COLLOQUIUM VII.

ARGUMENTUM : *Duo pueri veniam petunt, ut ad nuptias sibi abire liceat; facultas datur a Magistro brevi monitu.*

**Cléricus. Præceptor.**

LICETNE, Præceptor, ut ego et patruélis domum eamus?

*P.* Quid eo?

*C.* Ad núptias consobrinæ.

*P.* Quando fient núptiæ?

*C.* Crastino die.

*P.* Cur tam mature vultis ire?

*C.* Ut tempus ad vestes mutandas nobisque ornandis súppetat.

*P.* Per me licet eatis, ea tamen lege, ut cras témpore recessus ad cúbitum hic præsto sitis.

*C.* Quid si patruus volet ut ad repótia[2] superstitemus?

*P.* Non detinebit vos, satis scio; dúmmodo qua lege vos dimíserim, eum certiorem faciatis

*C.* Verum fatébimur.

*P.* Eatis, licet; cavete vobis ab omni gula[3] intemperata, faciteque, *ut lúceat lux vestra coram ómnibus*, unde gloríficetur noster ille cœlestis Pater.

*C.* Ita quidem speramus fore, ipso nos domi nostræ versántes adiuvante.

1. **Patruelis, is,** est progenies patrui, *hoc est*, fratris patris; filius fratris patris; contra, **consobrinus, i,** est filius sororis matris.

2. **Repótia, orum,** potatio, compotatio, quæ post epulas, nuptias, aliasque celebrationes fieri solet. — **Supérstito,[1] vi, tum,** non abire cum cæteris, remanere, pernoctare.

3. **Gula, æ,** est intemperantia in edendo v. bibendo.

## COLLOQUIUM VIII.

ARGUMENTUM: *Puer facultatem in forum eundi petit.*

**Portanus. Præceptor.**

LICETNE mihi exire, Præceptor?

*P.* Quæ tibi est exeundi causa?

*Po.* Ut in foro aliquem e nostratibus quæram.

*P.* Quid istud opus est?

*Po.* Scílicet per eum paréntibus nuntiari volo, ut panem mihi mitti sólitum aut ipsi déferant, aut per álium demittendum curent.

*P.* "*Ubi panis déficit, illic cuncta venum eunt.*"[1]

*Po.* Istud vulgatum est apud nos provérbium.

*P.* Imo ubique pervulgatum; ádeo est panis mortálium vitæ necessitas. Sed ad rem; nuncne vis prodire?

*Po.* Si tibi placet, Præceptor, ne occasionem negótii mei amittam.

*P.* Abeas, licet, sed conare ante prándium reverti.

*Po.* Dabo équidem óperam.

1. Verba Corderii: "*Ubi panis deficit, omnia sunt illic venalia*, tam obscura sunt, quam nostra ipsa sententia; nec versio Gallica est clarior, quæ sic sonat: "Oú le pain defaut, toutes choses y sont à vendre." Fortasse Gallis notum est proverbium, nobis non est, nec sensus omnino liquet.

---

## COLLOQUIUM IX.

ARGUMENTUM: *Duo fratres domum profecti, ad testimonia afferenda, v. ad testes adducendos iubentur a Præceptore.*

**Buvetus. Præceptor.**

LICETNE mihi cum fratre una exire?

*P.* Quid causæ subest?

*B.* Ut matrem ad emendum nobis cálceos rogemus, deinde, ut in tonstrinam eamus.

*P.* Quo propósito?

*B.* Capillos resectum.

*P.* Num urget?

*B.* Non magnópere, sed propósitum est, ut, si Deus sinat, pátruum invisamus.

*P.* Ite; sed ad studium mature revertatis; at, púeri, mihi a matre testimónium adferetis, aut certe testem mihi in crastinum diem adducetis.

*B.* Id, Deo iuvante, diligenter curabo. Numquid áliud vis, Præceptor?

*P.* Ut matrem meo nómine officiose salutetis.

---

## COLLOQUIUM X.

ARGUMENTUM : *Aliqui pueri in tonstrinam exire parant, a præceptore tamen in proximum diem detinentur.*

**Albertus. Præceptor.**

PRÆCEPTOR, licetne nobis exire ad tonsorem?

*P.* Quo propósito?

*A.* Ut capillos tonderi curemus.

*P.* Vos, profecto, vel séxies quotídie libenter exiretis; quin exspectábitis in diem crastinum, ut cum cæteris, simul eatis.

*A.* Atqui propter núndinas tota hóminum turba erit in tonstrina.

*P.* Quid tum? Satis habébitis ótii ad exspectandum. Recípite vos in stúdium.

*A.* Ut libet, Præceptor.

## COLLOQUIUM XI.

ARGUMENTUM: *Puer quidam ad patrem in diversorio conventum ire vult.*

**Bárgius, Præceptor.**

PRÆCEPTOR, pater me conventum eum venire iubet.

*P.* Ubi est pater tuus?

*B.* In diversório.

*P.* Quando pervenit?

*B.* Modo tantum.

*P.* Quis tibi id tam súbito nuntiavit?

*B.* Per mediastinum me certiorem fecit.

*P.* Ubi est ille?

*B.* Præ fóribus præstolatur.

*P.* Cur eum non introduxisti?

*B.* Nóluit me sequi intro.

*P.* Quam ob causam?

*B.* Quia, ut ait, tempus eum urget.

*P.* Voca eum intro, ut paucis eum convéniam; tum abire cum eo póteris; sed cura at primum ac póteris hic adsis.

*B.* Bene, eo eum vocatum.

1. **Mediastinus, i,** *proprie*, adiutor medicorum esse videtur, sed in genere accipitur de servis ac famulis inferioris sortis.

---

## COLLOQUIUM XII.

ARGUMENTUM: *Præceptor inquirit in causas absentiæ sui famuli.*

**Præceptor. Ruscinæus.**

VBI est *Martinus?*

*R.* Exivit in forum.

*P.* Quid éxiit?

*R.* Emptum, ut dixit, manúcia.

*P.* Iniussu meo exire non débuit; sed hæc nihil ad te. Quis dabit vobis merendam?

*R.* Dixit se hora secunda, nobis merendam datum, domi futurum.

*P.* Quid si vos feféllerit?

*R.* Id non est moris eius.

*P.* Nisi ad horam adfúerit, fac meam uxorem de re certiorem, ut quum aliam clavem cellæ penuáriæ hábeat, merendam vobis provídeat.

1. **Manúcium, ii,** manuum tegumentum.

---

## COLLOQUIUM XIII.

ARGUMENTUM: *Hic puer reprehenditur a præceptore, qui iniussu suo foras iverat.*

**Præceptor. Scarronus.**

DEMIROR unde nunc vénias.

*S.* Domo rédeo, Præceptor.

*P.* Cur íveras domum ?

*S.* Petitum merendam.

*P.* Quare tecum non adtúleras ?

*S.* Mater áliis rebus erat detenta.

*P.* Quid tum ? Num ídeo iniussu meo prodire debuisti ?

*S.* Fáteor me non debuisse.

*P.* Quid ígitur meruisti ?

*S.* Plagas accípere ; sed ignosce mihi, Præceptor, quæso.

*P.* Cur non petivisti exeundi potestatem ?

*S.* Quia te interpellare non audebam.

*P.* Quid tunc agebam ?

*S.* Libellum quendam manu tenebas, & áliquid légere videbaris.

*P.* Esse potest : attamen vos me sæpe interpellatis étiam ob rem leviorem. Nunc ígitur te ad vapulandum parabis.

*S.* Parce mihi, obsecro, Præceptor !

*P.* Sine ut prius aliquantisper cógitem. Esto, parcam tibi: tum quia ingénue confiteris, tum étiam quod alióquin satis studiosus mihi videris.

*S.* Grátias ago máximas, Præceptor humaníssime, nec álias fácile te offendam.

1. **Plaga, æ,** *proprie,* stria, quam ictus relinquit in corpore ; ictus, verbera.

---

# COLLOQUIUM XIV.

ARGUMENTUM: Vilhelmus *chartam petens a præceptore, ad famulum mittitur.*

**Vilhelmus. Præceptor.**

PRÆCEPTOR, nulla mihi superest charta ad scribendum, visne mihi áliquot phílyras[1] vel scapum dare ?

*P.* Quem in usum ?

*V.* Partim ad collóquia, partim ad exemplária scribendum

*P.* Retulistine ea in códicem tuum ?

*V.* Rétuli, Præceptor.

*P.* Ostende, sis.

*V.* Ecce, Præceptor, vide.

*P.* Quid istud ? Tu quíndecim libellas putas ; codicillum ígitur maioris formæ vis accípere?

*V.* Ita est, Præceptor, si placet.

*P.* Vide fámulum de hoc, illius sub cura sunt. Ostende illi tuum cómputum,[2] ut ille quoque in suum códicem referre possit.

*V.* Audio, Præceptor, fáciam quod iubes.

*P.* Audi, item, cave charta abutaris, ne pater te pródigum esse succénseat.[3]

*V.* Sum satis parcus, Præceptor, nec causam præbebo cur pater succénseat.

1. Vocabulum proprium quod hactenus *filaram* scribebamus, quod nobis per auditum tantum erat cognitum, sed in posterum **phílyram**, quæ et **phílura** scribitur, adhibebimus, et cunctis Latinis commendamus. Quum ipsi incerti essemus, Cl. ac Rdus BONAVENTURA HANSEN, O. S. B., ex Sc. Universitate de Sto. Iohanne, Collegeville, Minn., in Statibus Fœd., disquisitione in rem, dubium nostrum dissolvit, quod hic publice sit agnitum, ac posteritati traditum. **Phílyra, æ** est **tilia,** arbor, e libro cuius charta parabatur ut e Mart. Capella & e Plinio fit manifestum, sed eo sensu quo a nobis adhibita est, in Dig. 32, 1, 52, in Procemio primum occurrit.

2. **Puto,[1] vi, tum, computo, imputo, reputo,** rationem numeris reddere de proventu, erogatione pecuniæ acceptæ et erogatæ.

3. **Succénseo,[2] ui sum,** *v. n.*, alicui irasci, aliquid ægre ferre, ob actum alicuius indignari.

---

# COLLOQUIUM XV.

ARGUMENTUM : Grivetus *cultellum præstinaturus admonetur ne se decipi sinat.*

**Grivetus. Præceptor.**

PRÆCEPTOR, permittisne ut pródeam ?

*P.* Quum scívero quid exire velis.

*G.* Est mihi in ánimo cultellos émere mensários.

*P.* Quo devenerunt quos habebas ?

*G.* Eos domi reliqui.

*P.* Quorsum ?[1]

*G.* Quia iam hebetes erant, nec rite exácui póterant.

*P.* Estne tibi pecúnia ut álios emas ?

*G.* Mater mihi dedit quantum satis.

*P.* Quis tibi áderit empturo ?

*G.* Testem & árbitrum *Gerhartum* adscivi.

*P.* Placet, facultatem vobis fácio, modo cavete, ne vobis imponatur.

*G.* Solerter óperam dábimus.

1. **Quorsum,** *proprie*, quo versum, versus quem locum? Sed æque frequenter sensu **quare? cur? quo consilio?** ut hic.

2. **Impónere**, est sæpissime in sensu **fraudis,** falsam rem alicui, loco genuinæ, imponere; hinc, qui sic imponit, est **impostor.**

---

## COLLOQUIUM XVI.

ARGUMENTUM: *Pueri duo facultatem impetraut spatiatum eundi, ut, dum cœteri luderent, ipsis copia esset liberius colloquendi.*

**Vernetus. Præceptor. Spátula.**

LICETNE paucis, Præceptor?

*P.* Lóquere.

*V.* Nos duo proponebamus, si tibi ita vidébitur, dum cæteri púeri ludunt, ambulatum prodire.

*P.* Quorsum vultis ire?

*V.* In próxima suburbana.

*P.* Quid autem agetis ambulantes?

*S.* Collóquium quoddam pertractábimus, quod sese nobis óbviam súggeret.

*P.* Utique de rebus pulchris, quas rus et subúrbium affatim ófferunt.

*S.* Recte mones, Præceptor. Hæc temporis serenitas, tam pulchra terræ fácies, sine dúbio cópiam colloquendi ubérrimam ministrant.

*P.* Etiam totum universum, cuius nos mortales partículam tantum exíguam óculis compléctimur, eiusdem Creatoris opus, late vobis patebit, quod contamplari possitis.

*V.* Certe, Præceptor, id potíssimum nos állicit ut límites urbis excedamus, ut rerum naturam coram, ruri, spectemus; ob id a vobis facultatem pétimus.

*P.* Vestra quum fides ac fidélitas, amor studiorum, gravitasque morum, mihi cógnita sint, facultatem vobis fácio, sed ægre, nec sine sollicitúdine, próprio damno doctus. Idcirco enixe vos moneo ut recte vos geratis, et ad cœnam tempestive domum veniatis.

---

## COLLOQUIUM XVII.

ARGUMENTUM: Isaias *ad sartorem prodire vult.*

**Isaías. Præceptor.**

FACULTATEM peto, Præceptor, ut prodire mihi líceat.

*P.* Quo cupis ire?

*I.* Ad sartorem, Præceptor.

*P.* Quo consílio?

*I.* Visum utrum braccæ meæ sint paratæ.

*P.* In hodiernumne diem paratas promisit?

*I.* Sic conventum est.

*P.* Tum res est incerta.

*I.* Atqui in hunc diem promisit.

*P.* Quid si te fallat?

*I.* Nihil mirum fúerit.

*P.* Recte dicis, nam opífices ad promissum tempus raro fidem præstant.

*I.* Eo sátius duco ut eum visum eam, si cum voluntate tua fácere pótero.

*P.* Nihil impédio.

*I.* Numquid vis prætérea, Præceptor?

*P.* Unum nónnisi, ut próperes, nec prælectioni desis.

*I.* Nihil est quod me tam diu detíneat; ibo prótinus, nec diu morabor.

*P.* Te exspectábimus.

# COLLOQUIUM XVIII.*

ARGUMENTUM: *Exemplum imitatu dignum exhibetur, quo docetur, pueris, ne ad libitum huc & illuc discursare possint, indulgendum non esse.*

**Caius. Præceptor.**

DABISNE facultatem, Præceptor, ut pródeam?

*P.* Quo vis ire?

*C.* Domum.

*P.* Hem, tam sæpe itare domum?

*C.* Et ego & pater a matre domum ad se venire iussi eramus.

*P.* Cuius rei grátia.

*C.* Ut ancilla vestes nostras excúteret.[1]

*P.* An vos ipsi non potestis id curare?

*C.* Non deest nobis potestas, Præceptor, sed sic semper solebamus fácere.

P. Hoc interest, mi puer, inter morem sólitum atque statum vestrum præsentem, quod modo in schola estis & certa offícia vobis curanda sunt: quum vero domi fueratis, nullis munéribus eratis obstricti. Si ergo vestes excútere cúpitis, aut domi id facietis feriati,[2] aut vero hic, quum vacabit.

*C.* Atqui mater nostra nos hódie domi præstolatur.[3]

*P.* Mittam fámulum qui ei núntiet vos offício esse impeditos, nec domum prius ituros quam stúdiis vacetis.

1. **Excutio,[3] ssi, ssum,** præter ália, significat **pulverem** e vestibus ictibus virgarum exigere & expellere.
2. **Fério,[1] vi, tum,** vacare feriis.
3. **Præstolar, ari,** exspecto.

*Colloquium istud ex parte mutandum duximus, quod argumentum eius scholis nostrorum temporum minus aptum censuimus.

## COLLOQUIUM XIX.

ARGUMENTUM: *Exemplum aliud eiusdem argumenti.*

**Tornator. Præceptor. Púeri.**

LICEBITNE, Præceptor, cras, tua vénia, nobis domum ire?
*P.* Causam eundi prius éxplica.
*T.* Panis mihi déficit, supplere volo.
*P.* Nullus tibi restat?
*T.* Restat quidem, sed parum ádmodum.
*P.* Quid frater? Etiamne tecum ire cupit?
*T.* Sic equidem pater iussit.
*P.* Quando eum convenisti?
*T.* Die Iovis prætérito, quum in urbem vénerat.
*P.* Ubi vidisti eum?
*T.* In foro.
*P.* Non mentiris?
*T.* Nequaquam.
*P.* Unde probabis?
*T.* Sunt inter condiscípulos qui adfuerunt.
*P.* Qui tandem?
*T.* Hic adsunt *Blásius & Audax.*
P. Estne verum, púeri.
*Pu.* Omnino verum est.
*P.* Qui scitis?
*Pu.* Vídimus eius patrem, et étiam eius verba audívimus.
*P.* Quum ita sit, permitto ut cum fratre domum eas.
*T.* Reddo grátias, Præceptor, et vale.
*P.* Deus vos servet.
*T.* Idem tibi ex ánimo precor.
*P.* Sed, heus, quando hic adéritis?
*T.* Crastino die vésperi, Deo favente.
*P.* Cura ut promissi memíneris.
*T.* Curabo.

*P.* Scílicet, ut soles.

*T.* Quin mélius, ut spero. Numquid áliud mihi mandare vis?

*P.* Unum; nempe ut paréntibus verbis meis salutem dicas.

*T.* Libenter fáciam. Iterum vale, Præceptor.

*P.* Vos quoque valete. Lento gradu ambuletis, propter æstum solis.

*T.* Ita fácere solemus.

---

## COLLOQUIUM XX.

ARGUMENTUM: *Puer, de sua absentia interrogatus, argumento probato se excusat, quod & scripto testimonio confirmat.*

**Præceptor. Villarianus.**

QUID sibi vult quod tota hebdómade abfúeris?

*V.* Me domi manere opórtuit.

*P.* Cuius rei causa?

*V.* Ut matri, quæ ægrotabat, adessem.

*P.* Quod offícium ei præstabas?

*V.* Præter ália, prælégere ei solebam.

*P.* Quid prælegebas ei?

*V.* Locos e Sacris Litteris, áliquot tractatus doctos, eventus quotidianos e diáriis, item vitas e *Plutarcho,* quas ipsa libentíssime audit.

*P.* Optime factum. Oráculum divinum solátium animæ præbet; vitæ et exempla plæclara vetustatis spéculum est ad honeste & beate vivendum, nec diurna, si sint honesta, spernenda sunt, unde res in diem públice gestas cognóscimus. Hæc tamen caute sunt legenda. Quo álio ministério fungebaris?

*V.* Quóties opus erat, cum ancilla rebus doméstics administrandis óperam dabam.

*P.* Hæccine vera sunt ómnia?

*V.* Hábeo testimónium.

*P.* Profer illud.

*V.* Ecce.

*P.* Quis hoc scripsit?

*V.* Fámulus noster, matris nómine.

*P.* Agnosco eius manum; quod scripta eius tu iam sæpius mihi adtulisti.

*V.* Licetne ígitur mihi ad sedem meam ire?

*P.* Quidni liceat, quum mihi satisféceris?

*V.* Grátias ago mi Præceptor.

---

## COLLOQUIUM XXI.

ARGUMENTUM: Lucetus *ad forum ire cupiens, hypodidascalus eum varia interrogat.*

**Lucetus. Hypodidascalus.**

CONCEDISNE mihi, Præceptor, ut éxeam?

*H.* Quæ est tibi exeundi causa?

*L.* In forum est mihi eundum.

*H.* Quo consílio?

*L.* Ut sutorem ádeam.

*H.* Quid rei tibi cum sutore est?

*L.* Cálceos meos ab eo reparari curare volo.

*H.* Quis te eo comitábitur.

*L.* Est hic oppidanorum quidam, quem pater eo consílio ad me misit.

*H.* Debebas ad me venire cum cæteris, qui ad forum iam vénia concessa prodiverunt.

*L.* Eo témpore ália re detinebar.

*H.* Quid te detínuit.

*L.* Lítteris ad patrem scribendis eram intentus,

*H.* Quando eas tabelláriæ committes?

*L.* Quamprimum delectum patris convénero.

*H.* Quid eges lítteris quum popularem tuum convénias, qui patri tuo cuncta renuntiaturus sit?

*L.* Popularis meus prótinus domum non redibit, sed binosternosque dies hic morábitur; ego autem patrem sine mora certiorem hac de re fácere cúpio.

*H.* Prodi ígitur, sed ad horam sólitam adesse memíneris.

*L.* Non tibi déero.

---

## COLLOQUIUM XXII.

ARGUMENTUM : *Puer, negotio suo absoluto, coram Præceptore se, more solito, sistit.*

**Arator. Præceptor.**

PERMISSU tuo, Præceptor, hora prima prodíveram, modo sum reversus.

*P.* Absolvístine negótium tuum?

*A.* Pénitus absolvi, Præceptor, grátia Deo.

*P.* Factum bene. Quota est hora nunc?

*A.* Instat secunda.

*P.* Itane? Tum voca sis mihi fámulum, deinde ite ad merendam cum cæteris.

---

## COLLOQUIUM XXIII.

ARGUMENTUM : Hugo *a Præceptore pecuniam mutuam petit; ad hypodidascalum mittitur.*

**Hugo. Præceptor.**

VISNE, Præceptor, mihi aliquantum pecúniæ mútuo dare?

*P.* Quid opus est tibi pecúnia?

*H.* Ut *Sylvio* satisfáciam.

*P.* Quantum debes illi?

*H.* Decem libellas.

*P.* Quo nómine?

*H.* Nómine servitiorum; quod áliquot collóquia pro me scripsit.

*P.* Ostende sis ea.

*H.* Vide, si placet.

*P.* Vídeo, óptime factum: vade nunc ad hypodidáscalum, nuntiaque illi decem libellas a me tibi concedi, & ut eas tibi exsólvere velit.

*H.* Grátias tibi reddo, Præceptor; ibo prótinus.

*P.* Non est quod agas; cura tamen ut id in cómputum tuum réferas.

*H.* Quin iam étiam rétuli.

*P.* Bene factum; éxhibe relatum hypodidáscalo.

---

## COLLOQUIUM XXIV.

ARGUMENTUM: Blásius *petit veniam, ut gratia scribendi tutorem suum adire possit.*

**Blásius. Præceptor.**

INDULGESNE, Præceptor, ut ad tutorem meum eam?

*P.* Cuius rei grátia?

*B.* Ipse me eum hódie convenire iussit, si id per ótium fácere possem.

*P.* Quando id iussit?

*B.* Núdius tértius.

*P.* Ubi vidisti illum?

*B.* In área, quæ est e regione templi.

*P.* At vide ne mentiaris.

*B.* Absit a me mendácium. Si vis, e condiscípulis, qui mecum áderant, testes adducam.

*P.* Quinam sunt illi?

*B.* *Dániel* & *Corbérius;* visne ut eos accersam?

*P.* Mane; ego eos convéniam. Sed dic mihi, quid eget tutor tua ópera?

*B.* Ad áliquid describendum.

*P.* Qua ígitur hora vis eum adire.

B. Iam nunc, si tibi placet.

*P.* Et quando huc redibis?

*B.* Quam primum me dimíserit.

*P.* Placet; i licet, eique ex parte mea salutem núntia.

*B.* Fáciam libenter.

---

## COLLOQUIUM XXV.

ARGUMENTUM: *Præceptor ad prandium invitatus, excusationem renuntiat.*

**Scriba. Magister.**

PATER te ad secum prandendum invitat, Præceptor, si tibi venire placet.

*M.* Eritne ad prándium solus?

*S.* Solus, opinor, præter domésticos.

*M.* Velis me apud eum excusare, quod iam aliunde sum invitatus. Age tamen illi meo nómine plúrimas grátias.

*S.* Numquid áliud fíeri aut dici vis?

*M.* Necquidquam áliud, nisi ut ad scholam mature rédeas.

*S.* Curabo ut mature adsim.

## COLLOQUIUM XXVI.*

ARGUMENTUM: Gasparus *ad sartorem ire cupit*, *tum*, *eadem via*, *ad chirurgum*.

**Gasparus. Præceptor.**

CONCEDISNE, Præceptor, ut éxeam?

*P.* Quo vis ire?

*C.* Primum ad sartorem, deinde ad chirurgum.

*P.* Quid vis a sartore?

*C.* Colóbium mihi a látere levo fissum est, et étiam duo nodi mihi decíderunt; hoc réfici ac reparari volo. Molestum enim est vestes deciduas sentire.

*P.* Non habes *pendículos?* [1]

*C.* Hábeo quidem, sed nodi inter ludendum avulsi et decerpti sunt, & sic pendículi nihil iuvant.

*P.* Et quid negótii tibi est cum chirurgo?

*C.* Ut ei exhíbeam ulcus, quod mihi his diebus in fémore subortum est.

*P.* Num quis te læsit?

*C.* Nemo me læsit, nec scio quo demum modo, aut ex qua causa, ortum sit, sed per se ortum esse tum tandem sensi, quum e vestium fricatura dolorem urentem persentíscerem.

*P.* Furúnculum[2] esse arbitror.

*C.* Ita et ego coniiciebam.

*P.* Chirurgus sine mora cognoscet. Nihil sevérius esse puto. Ipse emplastrum quoddam appinget, et intra paucos dies bene habebis.

*C.* Fáciam quidquid a me fíeri iússerit.

*P.* Sed numquis est qui te comitetur?

* Ne res easdem ad nauseam usque repeteremus, quædam hic mutavimus, nova vocabula inducendo, phrases probatiores adoptando. Identidem initia colloquiorum tam priorum, quam sequentium, variis phrasibus concepimus.

*C.* *Iohannes Fluvianus* se cómitem óbtulit.

*P.* Estne ipsi quoque causa exeundi?

*C.* Ipse in tabernam linteáriam vult ire, ut par soccorum[3] áliquot mucínia, nodos collares, atque par armillaceorum[4] præstinet.

*P.* Bene; ite simul, sed réditum maturate, ne merenda vestra mulctémini.[5]

1. **Pendiculus, i,** vocabulum Romanum, fere eiusdem sensus quo hic adhibetur. Nos eo ligaculum designare volumus, quod braccas sustinet.
2. **Furúnculus, i,** est pustula maior in cute, quæ irritata vestibus, corpus urit.
3. **Socci** sunt tibialia, vestes pedum.
4. **Armillaceum, i,** volumus vocare illam partem vestimenti, quæ carpos tegit, estque e tela, amylo rigida.
5. Difficile dictu, utrum *mulcto* an *multo* rectius dicatur. Philologis posterius placet, usus tamen speciem priorem mavult; significat autem *verberare*, *batuere*, ictibus punire, punire pecunia.

---

## COLLOQUIUM XXVII.

ARGUMENTUM : *Puer pro se aliisque pluribus facultatem ad nundinas prodeundi petit.*

**Látomus. Præceptor.**

FAC, Præceptor, indulge ut foras eamus.

*P.* Estisne multi qui prodire vultis?

*L.* Fere omnes vólumus.

*P.* Quid hoc sibi vult ?

*L.* Hódie núndinæ sunt, Præceptor, inde fit ut propémodum quisque sibi áliquid præstinare velit.

*P.* Modo magis sum labóribus óbrutus quam ut singulorum causam prodeundi cognóscere possim. Adíte ígitur subdoctorem, qui id cognoscat, atque, si vacat, ipse vos deducat.

*L.* Grátias ágimus, Præceptor, humaníssime, faciemus ut iussisti.

## COLLOQUIUM XXVIII.

ARGUMENTUM: Theóphilo *demandatur ut patri cuiusdam pueri scribat, ut is filium in scholam remittere velit.*

**Præceptor. Theóphilus.**

HODIENE ígitur *Petrum* convenisti?

*T.* Hódie.

*P.* Ubi?

*T.* In templo.

*P.* Quota hora?

*T,* Octava matutina.

*P,* Numquid rogasti eum quando sit scholam repetiturus?

*T.* Rogavi.

*P.* Quid ille?

*T.* "*Néscio,*" inquit.

*P.* Debuisti eum ad réditum cohortari.

*T.* Id ego feci post ritum, & multis quidem verbis.

*P.* Bene fecisti; sed quid ille respondit?

*T.* Se adhuc ad colligendos fructus a patre detineri.

*P.* Quid si ad ipsum patrem de nostro statu scholástico scribas? Eo fortasse movébitur, ut fílium huc cítius remittat.

*T.* Si tibi ita videtur, fáciam, idque diligenter.

*P.* Fac ígitur ita primo quoque témpore; sed audi, scribe pleníssime; deinde lítteras tuas mihi ostende priusquam tabelláriæ tradas.

*T.* Sédulo fáciam, Præceptor.

---

## COLLOQUIUM XXIX.

ARGUMENTUM: Petavellus *facultatem petit foras eundi, ut sibi in tabernis varias res præstinet.*

**Petavellus. Præceptor.**

VISNE indulgére, Præceptor, ut foras pródeam?

*P.* Quo vis ire?

*Pe.* In tenuáriam;[1] égeo enim aliquot ácubus, ácia,[2] digitábulo, ac fórfice; illinc in sutrinam me cónferam.

*P.* Quid tibi negótii est in sutrina?

*Pe.* Calces mihi sunt detritæ, eas córrigi volo, dein corrígias[3] émere.

*P.* Quam mox póteris ómnia curare?

*Pe.* Intra horæ spátium, ut spero.

*P.* Fortasse multi erunt in tabernis, nec res tibi ad líbitum cedent.

*Pe.* Fíeri potest; sed si vídero turbam me ab ábaco[4] arcére, aut áliam ad tabernam me divertam, aut negótia in crastinum diem déferam.

*P.* Estne quis álius qui tecum ire velit?

*Pe.* *Fontanus* ait se seta[5] ac melantéria indigére, ídeo mecum simul égredi cupit, ut eas res sibi præstinet.

*P.* Scisne certo eum iis rebus indigere?

*Pe.* Satis certo; plus semel enim audivi eum res eas primum quam posset præstinaturum.

*P.* Bene est; ite ígitur simul, curate negótia diligenter, sed ultra quod est æquum ne morémini.

*Pe.* Id, iuvante Deo, curæ nobis erit.

1. **Tenuária, æ,** subaudi *taberna;* ea taberna vocatur *tenuária,* ubi vestes tenues, ut puta, e tela, sindone, cárbaso, seu cánnabi, sive pro mulieribus, sive pro viris, venduntur.

2. **Acia, æ,** fere idem ac *filum,* attamen filo utimur etiam ad ligandum, seu sine acu, ácia autem est pro acu. — **Digitábulum, i,** est pileolus, vel capsula metallica, quam sartores digito imponunt, quaque acum per pannum transigunt. — **Sutrina, æ,** est officina sutoria.

3. **Corrígia, æ,** est ligula coriacea, vel ex alia materia, qua calcei pedibus alligantur; etiam habenæ.

4. **Abacus, i,** est mensa exhibitoria in tabernis; mensa, ubi pecunia numeratur; pódium.

5. Ut iam alias monuimus, **seta, æ,** est res e pilis suillis, aut equinis, ad verrendum vestes; pili ipsi, seu *villi,* vocantur *seta,* inde etiam quod fit e setis est *seta,* et *setaceum.* **Melantéria** vero, ut pariter monuimus, est atramentum, nigror, ad calceos denigrandum.

# COLLOQUIUM XXX.

ARGUMENTUM : Carbonárius *it ad sartorem.*

**Carbonárius. Præceptor.**

AD SARTOREM vellem ire, Præceptor, licetne?

*P.* Quum propósitum intelléxero, dicam.

*C.* Véstibus égeo, Præceptor: curare volo ut sartor mensuram fáciat véstium.

*P.* Quarum véstium?

*C.* Totíus indumenti.

*P.* Ex qua matéria curabis indumentum fíeri?

*C.* Indumentum hyemale potíssimum e panno nigro parari curo; si esset æstas, fíeri iuberem e panno leviori sive cærúleo, glauco, vel cineráceo, sive vero etiam e cánnabi, aut lino.

*P.* Quis est sartor tibi?

*C.* *Petrus, Sylvius*, maior.[2]

*P.* Estne is pater *Petri Sylvii,* Minoris, Lataviensis?

*C.* Hic Via Xenodóchica[3] Boreali, sub Numero tercentésimo vigésimo & sexto hábitat; néscio utrum sint cognati.

*P.* Estne peritus artifex?

*C.* Peritus esse fertur; notus est patri meo, qui me ad eum ire iussit.

*P.* Cæteri púeri fere omnes parata emunt indumenta, quæ prétio viliora sunt, re non semper, nec raro óptime quadrant.[4]

*C.* Etiam ego malo parata émere ac mecum prótinus auferre, quam septimanas exspectare, & multifáriam vexari. Sed sic patri placet.

*P.* Voluntati patris obtemperando non falléris.

1. **Cærúleus, a, um,** color cœli; **glaucus, a, um,** color maris; **cineráceus, a, um,** color cinerum. — **Cánnabis, is,** *f.*, Græcum nomen plantæ, e cuius fibris funes plectuntur, et etiam sacci et tela asperior texuntur. **Linum, i,** Græcum, est planta, e fibris cuius fila lintea, seu *línea*, parantur, ex his autem linteamina pro vestibus interioribus.

2. **Máior,** atque **Minor,** scil. **natu,** ætate ; non enim dicimus *Petrus Sylvius*, **Sénior,** aut **Iúnior,** sed *Maior* et *Minor*.

3. **Xenodóchium, ii,** Græcis est idem quod Latinis **diversorium,** attamen usu communi invaluit eo vocabulo infirmaria, vulgo *hospitalia* designare. — **Borealis, e,** Græcis id, quod Latinis *Septemtrionalis, e*. — **Cognatus, i,** = con + gnatus, ex eodem sanguine oriundus.

4. **Quadro,**[1] **vi, tum,** id quod cónvenit, quod est adaptatum, quod nec nimis amplum nec nimis angustum est, rectum et proprium.

---

# COLLOQUIUM XXXI.

ARGUMENTUM: *Exemplo ostenditur disciplinas optimas difficultatibus passim niti, industria tamen ac perseverantia superari.*

**Luterninus. Præceptor.**

LICETNE paucis, Præceptor?

*P.* Loquere, puer mi; quid vis?

*L.* Quum alícui nostrum dicis interdum: "*Ubi est follis?*"[1] vel "*Cedo follem!*" non apparet utrum *follis* masculini an fœminini sit géneris.

*P.* Vera mémoras; sed quid tum?

*L.* Unde ígitur id sciamus?

*P.* Si qua res vobis dúbia est, ad me semper referte.

*L.* Tam multa tamque sæpe te quæstiónibus obrúimus, ut vereamur, ne tibi molesti simus.

*P.* Quasi vero ego istud unquam præ me feram![2] contra: eo magis vos amo, quo sæpius me rogatis. Quid magis cúpio quam ut aliquando vos & óptimos & doctíssimos vídeam.

*L.* Máximas habemus grátias, Præceptor. Adeoque nunc a te percontor cuius géneris *follis* sit.

*P.* Est géneris *masculini*.

*L.* At ego pótius *fœminini* dixissem?

*P.* Et quare?

*L.* Partim quod iam experiéntia téneo eiúsmodi vocábula

fœminina esse, veluti *auris, turris, tussis,* & ália, partim vero per régulam "**Is** *dato fœmineis*".

*P.* Rite meministi; at eadem régula velut exceptionem, inter masculina cóllocat *follem* et *ensem*. Eo quoque spectant cuncta nómina in *-nis* exeúntia, veluti *cinis, crinis, panis, finis.*

*L.* Ecquí hæc ómnia memória comprehendam?

*P.* Præter usum quotidianum versus memoriales soli iuvant. Régulæ enim grammáticæ mente fácile éxcidunt, versus autem memóriæ rite commissi per omnem fere vitam hærent.

*L.* Arduum & longum est tam multos versus memóriæ accurate commíttere.

*P.* Verum sane est; étiam árduum & longum est láteres, lápides & tigna simul comportare, et ex iis ædes magníficas exstrúere. Id quod bonum, præclarum & magníficum est, durum laborem, ingens conamen & indústriam éxigit. Post laborem exantlatum[3] dulcis est réquies.

*L.* Experiéntia nos istud docet. At pater meus ánnuo spátio me doctum videre vellet.

*P.* Ego vero istud unius diéi spátio vellem videre. Sed quid agas? Omnibus in rebus tempus exspectandum est. Pater tuus stúdia sua litterária tempóribus longe elapsis absólverat, ex quo rationes & témporum & rerum per quam mutatæ sunt.

*L.* Vera mones, Præceptor; sed quid responsi illi réddere possim, quum de diuturnitate témporis Litterarum stúdio absumpti apud me conquéritur?

*P.* Docebo te inter cœnandum; nunc ito lusum cum cæteris, ut ego in musæum me recípere possim.

*L.* Ignosce mihi, Præceptor, quæso, quod te interpelláverim.

*P.* Nihil me demoratus es, quod útique vacabam. Prætérea, si te audire molestum mihi fuisset, nonne póteram tuam rem in áliud tempus deferre?

*L.* Tuo iure id póteras.

*P.* Missus ígitur es.

1. **Follis, is,** *m.*, est instrumentum ad ignem *flatu* fovendum, *Cedo follem*, = porrige follem, da mihi follem.

2. **Præ me fero,** ostendo, exhibeo, prodo.

3. **Exantlo,**[1] **vi, tum,** *proprie*, exhaurio, aquam e puteo amphora levo; labor durus, magno conamine enitor, vehementer laboro; perficere aliquid magno nisu. Figura est ab **antlia, æ,** quæ est machina ad levandum e puteo (fonte) aquam, his temporibus, machina ad sugendum, exsugendum aquam. Philologis Germanicis vocabulum ex toto thesaurario linguæ Latinæ longe gratissimum. Nihil enim est quod circa hoc vocabulum ludicris ac ridiculis speculationibus suis terminum imponat. Quamquam nec nos ipsi etymon vocabuli dirimere queamus, Romanis autem **c** atque **t** inter se confundere et commiscere sæpissime contigerit, veluti "conditio" et "condicio," "antlia" et "anclia," hinc Germani furore quodam triumphali prædicant in suis lexicis "antlia" non esse recte, rationem tamen ac causam non explicant. Usus sæculorum tamen **ántlia** sanxit, nec ab eo recedendum iudicamus.

---

## COLLOQUIUM XXXII.

ARGUMENTUM: *Puer nomine patris invitat Præceptorem ad invisendum eius hortum.*

**Castronovanus. Præceptor.**

SALVUS sis Præceptor.

*P.* Auspicato ádvenis, quid boni núntias?

*C.* Pater meus rogatum te vult, ut animi causa hortos suos suburbanos visum mecum venire ne graveris.

*P.* Ad eam rem nos invitat serénitas, & ínsuper feriati quoque sumus; sed quid ibi vidébimus aspectu iucundum?

*C.* Várias & pulchras árbores cum frúctibus, item herbarum & florum miram varietatem.

*P.* Nihil est illis rebus hoc témpore iucúndius.

*C.* Ea est Dei erga nos beneficéntia. — Sed véreor ne patri in mora simus.

*P.* Tantisper exspecta dum túnicam muto, ut sim ad ambulandum expedítior. — Iam paratus sum; nunc eamus. Sed estne pater domi suæ?

*C.* Pro fóribus[1] nos exspectat.

*P.* Bene res habet; vide ut eum decenter salutes.

*C.* De hoc, te docente, sæpe admóniti fúimus.

1. **Pro fóribus**, est idem ac *præ* foribus, ante ianuam.

---

## COLLOQUIUM XXXIII.*

ARGUMENTUM: David *a patre salutem nuntiat Præceptori, qui eidem vicissim salutem renuntiare iubet. De periculis peregrinationum.*

**David. Præceptor.**

PATER tibi, Præceptor, per me plúrimam salutem núntiat.

*P.* Ain' tu? quando rédiit rure?

*D.* Heri tantum.

*P.* Ut valet?

*D.* Optime.

*P.* Ubi vero est mater?

*D.* Ipsa adhuc in Gállia moratur.

*P.* In qua parte Gálliæ?

*D.* Aureliani.[1]

*P.* Quid novi ab ea?

*D.* E novíssimis lítteris collígimus eam óptime valere.

*P.* Valde delector. Nam, commodíssimo licet modo his tempóribus peregrinemur, iter perículis non caret.

*D.* Sic est, Præceptor. Nuper vária eius rei exempla e diáriis légimus. Alícubi pons chalybeus cóncidit, álibi tractus expediti fuerunt collisi, álias tractus exorbitavit,[2] in quibus accidentibus[3] plures vectores vita luebant.

* Ex parte de novo scriptum.

*P.* O tetérrimam diritatem ![4] Quot étiam mútili ac manci[5] in réliquam vitam facti sunt! Multo étiam trístius est, si cui áccidens eiúsmodi longe a suis, inter peregrinos & ignotos evéniat.

*D.* Grátiæ Deo, matri nihil horum áccidit; prætérea ipsa étiam inter cognatas[6] suas et amicos versatur.

*P.* Speremus eam salvam & incólumem ad vos redituram.

*D.* Nos quidem nihil ángimur, fortasse quod peregrinando tam assueti sumus.

*P.* Tamen sátius est periculorum perpétuo mémores esse. Vitam semel tantum amíttere póssumus. Cæterum velis patri salutem plúrimam ex parte mea renuntiare.

*D.* Fáciam, Præceptor, gratíssime.

1. **Aurelianum**, veteri nomine **Génabum**, urbs Carnutum, ad Ligerim (-er, eris, *m.*), in Gallia Lugdunensi, dein **Aurélia**, urbs Aureliana, civitas Aure lianorum, denique **Aurelianum**, unde nomen modernum *Orleans*.

2. **Exórbito,[1] vi, tum**, e nomine substantivo **órbita, æ**, quæ vestigium rotæ significat, seu tramitem rotæ. Rota *exorbitare* dicitur, quæ solitam plagam relinquit, et extra orbitam, extra viam ordinariam et consuetam currit.

3. **Accidens, tis**, est nomen subs. e partic. præs., *ad* + *cado*, quod cadit ad nos, in viam nostram; quod evenit, non exspectatum, non prævisum, necopinatum, præsertim malum, infortunium, calamitas. — **Vector, is**, *proprie*, is qui *vehit*, *vectat*, accipitur tamen plerumque de eo, qui curru, equo, navi vehitur, *h. e.*, viator, peregrinator.

4. **Díritas, atis**, *f.*, est nn. subst. ex adi. **dirus, a, um**, a **Diris**, seu sororibus Furiis, sævum, crudele, male ominatum; sævitas, atrocitas, crudelitas. — **Teter, tra, um** (Germanis **tæ-** placet sed perperam, etymon enim ignoratur, a maioribus autem **te-** accepimus), est fere idem ac *fœdus*, *a*, *um*, turpis, e immane, horridum, terribile.

5. **Mancus, a, um**, est id, quod non est integrum, cuius pars coporis abscissa, fracta, decerpta est, quod est *mútilum*.

6. **Cognatus, a, um**, con + gnascor, natus, *cognati* ab *agnatis* in eo differunt, quod hic affines paternos tantum complectitur, ille autem tam maernos quam paternos.

# COLLOQUIUM XXXIV.*

ARGUMENTUM: *Discipulus in dubio circa res varias grammaticas, a Præceptore consilium petit, qui id libenter impertit, quidque Philologia sit, docet.*

**Bachodus. Præceptor.**

INDULGE, Præceptor, ut pauca a te quærere possim.

*P.* Fare[1] líbere.

*B.* Cur non dícimus "*hic* arbor," sicut "*hic* labor," item, cur genitivum *árboris* non profécimus pænúltima longa, ut fere in cæteris nomínibus terminationis eiusdem?

*P.* Rem árduam quæris. *Accentum* usus videtur fígere, *genus* autem mens. Véteres *árborem* sexu, seu género, fœmininam esse voluerunt, velut matrem frúctuum; sunt autem tres in hac societate: *soror, uxor* atque *arbor,* quæ, cæterum, étiam *arbos* in antiquitate scribi sólita est.

*B.* Nonne cuncta réliqua, quæ in *or* éxeunt, márium sunt, seu sunt masculina?

*P.* Ita est; præter *cor, ador, æquor,* atque *marmor,* quæ neutra sunt.

*B.* Eccur hæc masculina non sunt?

*P.* Rátio esse videtur, quod hæc nómina 4 res materiales sine sexu signíficant, terminátio *or* autem partim viros virorumque múnera denotat, partim vero res immateriales & abstractas. Sic res abstractæ sunt: *ardor, candor, pavor, algor, fulgor*, aliaque, virorum autem múnia: *labor, actor, doctor, factor, raptor, pastor, sartor.* Quin étiam *or* ádeo masculinum est, ut parens sit terminationis *er* adiectivorum, véluti *íntegor, acer, celer, álacer,* unde et Germanorum *er, per excelléntiam* virum denotat, velut pronomen tértiæ personæ masculinæ, quasi *ipse*. Porro, ex *or* est Gallorum *eur*, ex *er* autem eorumdem *ier*.

*B.* Mira sunt quæ doces, Præceptor. Quis non delectetur

* De novo scriptum ex parte.

sciéntia linguarum, quum síngulis vocabulis tam profunda arcana, tantæque veritates occultæ subláteant, quas nemo nisi doctus perspícere possit. Quam áveo doctus fíeri.

*P.* Doctrina hæc est moderna, prorsusque nova, quam eruditi *Philologíam Comparativam* appellant.

*B.* Nulla sciéntia ea est púlchrior.

*P.* Omnis sciéntia est pulchra, quia vera, et eátenus[2] tantum, quátenus est vera; si non veritas sed stúdium[3] nos movet, iam doctrina pulchra non est, sed turpis gloriátio, cui quidem et in Philología latíssimus patet campus. Nemo autem rerum veritatem ex earum superfície cognoscit; sic, nec is *philólogus* est qui vocábula, velut cadávera exánima[4] novit; lingua viva pénitus est cognoscenda.

*B.* Plúrimas ago tibi grátias, Præceptor, ob tua mónita; iam intélligo árduo stúdio & assíduo labore opus esse ut doctrinas verbis ínsitas ipsi eruamus. At ubi voluntas est, média non desiderantur.[5]

1. **Fari, fatus,** *v. defectivum,* hic formam adhibemus Modi Imperativi lenioris, loquere! dic!

2. **Eátenus,** usque eo, ad eam mensuram, ea proportione; **quatenus,** usque quo, ad quam mensuram; sunt relativa.

3. **Stúdium** est favor ultra ius et fas; favor honestus; studium veri, studium virtutum, studium litterarum, est conamen honestum verum, virtutem, litteras colendi & exercendi; *contra,* studium sui, est amor sui, philautia, ut vulgo dicunt "egoismus;" *studium partium,* est favor iniustus erga amicos, familiares, socios, vel partem politicam, religiosam, linguæ, sexus, &c.

4. **Exánimis, e,** atque **exánimus, a, um,** *ex* + *ánima;* ñro singulari potissimum decl. 3-iæ, ñro plur. fere semper decl. 2-dæ. *Exánime* est id, quod animam amisit, quod est mortuum, v. simile mortuo.

5. **Desídero,[1] vi, tum,** *de* + sidus, cum dolore amissæ felicitatis, voluptatis, gaudii, ut puta, patriæ, familiæ, parentum, coniugis, ad sidera oculos levare; chara præterita exoptare; *contra,* con + sidero, quasi consilium a sideribus anceps peto, sidera consulo, ominor.

# COLLOQUIUM XXXV.*

ARGUMENTUM: *Usum in rebus addiscendis theoriæ præstare, hanc autem sequi oportere.*

**Olivárius. Præceptor.**

DIC, quæso, Præceptor quis eas régulas cóndidit, quas grammáticæ nostræ complectuntur?

*P.* Nemo, reapse, eas cóndidit aut creavit, puer mi, sed grammátici eas ex usu sermonis deduxerunt, et in unum concinnarunt.[1]

*O.* Etiamne púeri Romani didicerunt grammáticam Latinam?

*P.* Sane, étiam. Domi, a paréntibus, et in vita pública didicerunt linguam ex usu, in scholis autem grammática exercebantur.

*O.* Usus ígitur plus valet quam grammática.

*P.* Hoc sine dúbio verum est, non tantum in disciplinis linguarum, sed in omni vita. Artes et opifícia cuncta áptius et accurátius discuntur usu & exercitatione quam e præceptis librorum.

*O.* Memoratam a te audivi, Præceptor, senténtiam ad hunc tenorem, a quodam Philósopho Romano; velis mihi in mentem revocare.

*P.* Senténtia ea *Lúcii Annæi Sénecæ*[2] est, sicque sonat: "*Longum iter est per præcepta, breve et éfficax per exempla.*" At Philósophus non docet præcepta necessária non esse, solum usum suffícere. Sic, ut exemplo utar, quis fíeri posset médicus ex usu?

*O.* Verum est, claríssime perspício; sed quis magister linguæ Latinæ fíeri potest ex régulis, sine usu?

*P.* Utrumque iungi necesse est; perinde enim ac rústicus aut pincerna,[3] linguarum ex usu gnarus esse potest et tamen

* Denuo scriptum.

ignarus & rudis, sic et ómnium grammáticæ præceptorum gnarus linguæ ipsíus tamen est néscius, velut qui cuncta princípia natandi sciat, natare tamen nescit.

*O.* Tamen, Præceptor, ego mallem sic Latine scire quemádmodum rústicus Romanus, quam cuncta præcepta grammática tenere, ut multi præceptores, et tamen Latine nescire.

*P.* Scite, sed petulanter dictum. Sátius est linguam usu novisse, usum autem, ad normam dicendi elegantiorem, grammática perpolire.

*O.* Id quod nunc nos ágimus.

*P.* Ipsum idem.

1. **Concinno,**[1] **vi, tum,** etymon dubium; ordinare, in ordinem redigere, adornare, quæ discordant, in concordiam reducere; aliquid in rectum ordinem, in speciosam formam digerere; hinc nos *concinnatorem* vocamus eum, quem alias *auctorem*, linguis modernis *redactorem*, appellare solent.

2. **L. A. Séneca,** (obiit 65 P. Chr.), Epistola VI., 5.

3. **Pincerna, æ,** est pocillator, seu vir, qui vina mensæ administrat; est famulus mensæ.

---

## COLLOQUIUM XXXVI.*

ARGUMENTUM: *Videndum esse, ut studiosa iuventus veracitati assuefiat.*

**Præceptor. Dániel. Fábius. Paulus.**

DANIEL, fábulam[1] nobis récita!

*D.* *"Personam trágicam víderat vulpis."*

*P.* Non est bene; ordo verborum non est rectus.

*D.* . . . *"Vulpis víderat"* . .

*P.* Nec hoc valet. Aliquid étiam omisisti.

*D.* *"Vulpis olim víderat . . ."*

*P.* Quid rei est? tu pensum plane nescis.

*D.* Ignosce Præceptor, ego profecto non sum paratus.

*P.* Cur? Quæ est causa?

* Penitus novum scriptum.

*D.* Heri toto die cápite laborabam, quamobrem integro die lecto tenebar.

*P.* Tu hoc mihi, si verum est quod ais, ante prælectionem significare debebas. Quod quum non féceris rei veritatem dúbito.

*D.* Atqui, Præceptor, sic res se habet.

*P.* Cónside! Sume pennam & chartam, et scribe quod tibi dictabo: *"Pater Chare! A Præceptore hoc mane ad pensum recitandum provocatus, nec par respondendo deprehensus, cápitis dolorem & ægritúdinem in lecto causabar. Quum Præceptor de rei veritate dúbitet, te testem et árbitrum me invocare iubet, ut si verum fassus sim, id tuo nómine subsignato confirmare, sin autem veritati adversetur, me ob id, præsente meo condiscípulo Paulo, prótinus punire velis, ac Præceptorem de re alterutra certiorem reddere. — Obsequentíssimus fílius, Dániel.* — Plica has lítteras, ac patri prótinus tradas. *Paulus* testis te comitábitur .Abite. — *Fabi,* proséquere.

*F.* *"Personam trágicam forte vulpis víderat:*
*O quanta spécies, inquit, cerebrum non habet!*
*Hoc illis dictum est, quibus honorem & glóriam*
*Fortuna tríbuit, sensum communem ábstulit."*[2]

*P.* Præstanter. Nunc redde idem verbis tuis, ut te hos versus rite intellígere cognoscam.

*F.* Vulpécula,[3] ánimal astutum, casu vidit personam theátricam, seu fáciem humanam e charta[4] fictam; mirata pulchritúdinem, versat eam, deprehenditque spéciem tantum esse, re autem præcípua, cérebro, carére. Auctor fábulæ docet hoc ad eos referre, qui honóribus et ópibus supérbiunt, non virtute própria partis, sed casu fortúito nactis.

*P.* Quid vocatur *"sensus communis?"*

*F.* Facultas verum ac rectum a falso & iniquo dignoscendi, sanis homínibus communis.

*P.* Quid est étymon *"personæ?"*[5]

*F.* Néscio, Præceptor.

*P.* Quid est sensus vocábuli?

*F.* Idem qui "*larvæ;*" hoc est, effígies, seu simulacrum, quo mimi & histriones solebant vultum obtégere & dissimulare.

*Pa.* En, Præceptor, ádsumus; tene lítteras Clarissimi *Alexandri Vigílii,* patris *Danielis.*

*P.* Téneo. Explica verbis quî res se hábeant.

*Pa.* Quum pater *Danielis* intellexisset, quare ad eum missi essemus, omnino negavit fílium ex cápite ægrotasse, et ob id munus suum non fecisse. Veritatem rei hanc esse dixit: *Danielem* mane domo, quasi in scholam, abivisse, circa merídiem autem vestitu pénitus madenti, ita ut ne mácula quidem sicca in eo reperiretur, domum redivisse. Loco scholæ cum amicis quibusdam ad lacum ivisse, ut causa recreationis scapha conducta,[6] in lacu circumnavigaret. Remigandi ignari quum essent, lintre subversa, in aquam procidisse, nec nisi per miráculum quoddam vivos effugisse. Quæ quum pater comperisset, fílium, post vestes commutatas, verbéribus et inédia[7] punivisse, ac demum, ob hoc mendácium publicum, pater Danielem, me teste, fune[8] íterum pertrivit.

*P.* Cl. *Vigílius* óptime státuit. Vobis autem, púeri, sit *Dániel* exemplo. Qui leges & præcepta scholæ, auctoritatem paternam, moresque probatos spernit, nec mónitis salutáribus obtémperat; qui mores improbos mendáciis tégere, quam veritatem exercere mavult, in eum auctoritatem paternam & scholásticam animadvértere, eius nequítiam ulcisci æquum est et necessárium. Ubi verba nihil profíciunt, ibi plagæ[9] loquantur; ubi scholis facultas in personam puniendi negata est, ibi auctóritas paterna est invocanda. Sic decrevi mendácia exstirpare.

1. **Fábula, æ,** est id quod aliquis **fatur,** narrat.
2. Phædri Fabularum Libro I., Fabula VII.
3. Forma diminutiva **vulpis.**

4. Personæ antiquitus fiebant e gypso aut e ligno, nostris temporibus e charta macerata, pressa ac picta.

5. Aulus Gellius (v. 7. 1 & sq.) auctor est Gabium Bassum docuisse vocabulum "personam" e verbo **pérsono,[1] vi, tum,** seu *sonum edere*, originem ducere, sed syllabam secundam postmodum prolongatam esse. Significat autem prius ipsam larvam, qua actores scenici facies celare solebant, tum partem quam agebant, demum ipsum actorem, ac, per extensionem, hominem individuum.

6. **Scapha, æ,** est *linter*, *tris*, seu navicula; **conduco,[3] xi, ctum,** est in servitium accipere, pecunia soluta.

7. **Inédia, æ,** est *non édere*, ieiunare.

8. **Funis, is,** est chorda, est filum crassum e cannabi; **rymulcum,** quo naves ligantur, aut equis in ripa trahuntur. **Pértero,[3] trivi, tum,** terere, quassare, verberare, mulctare, batuere, profligare.

9. **Plaga, æ,** est ictus baculi, virgæ, funis; striæ, quas verbera in corpore relinquunt; vestigia verberum.

---

## COLLOQUIUM XXXVII.

ARGUMENTUM: Bandérius *facultatem petit in villam patris eundi, de qua re testimonium pollicetur.*

**Bandérius. Præceptor.**

PRÆCEPTOR, bone.

*P.* Quid vis?

*B.* Permittisne ut domum eam?

*P.* Cur ante horam?

*B.* Pater me hoc témpore domum venire iussit.

*P.* Quid eget ipse ópera tua?

*B.* In villam me mittere vult.

*P.* Quare?

*B.* Ut uvas ibi conquiram, item, ut eadem ópera villico nostro áliquid núntiem.

*P.* Quid si me fallis?

*B.* Adferam testimónium, ut sóleo.

*P.* Quando vis redire?

*B.* Hora prima, ut spero.

*P.* Quî tam cito?

*B.* Villa nostra hinc non longe est.

*P.* Placet, abito.

---

## COLLOQUIUM XXXVIII.

ARGUMENTUM: *Aliqui pueri se excusant quod sine indultu Præceptoris foras iverunt.*

**Dionysius. Præceptor.**

PLACETNE, Præceptor, excusationem meam audire?

*P.* Placet; quando abfuisti?

*D.* Hesterno die.

*P.* Quota hora?

*D.* Prima.

*P.* Quæ fuit tibi causa?

*D.* Avocatus fui.

*P.* A quo?

*D.* A patre.

*P.* Quis tibi núntium ádtulit?

*D.* Fámulus noster.

*P.* Cur ad me non venisti?

*D.* Quia ille se festinatione urgeri aiebat.

*P.* Qui sunt tibi testes.

*D.* Sunt mihi duo vel tres, quos si iússeris, prótinus accersam.

*P.* Récipe te in locum tuum, índica mihi tuos sócios, ego eos ínterim visam, resque pénitus perscrutabor.

## COLLOQUIUM XXXIX.

ARGUMENTUM : Michael *sero in scholam veniens se excusat asserendo, se a fratre in foro, ubi atramentum emebat, detentum fuisse. Fratribus res cunctas communes esse oportere.*

**Præceptor. Míchael.**

CUR cítius non venisti ?

*M.* Fratrem præstolabar.

*P.* Ubi est ipse ?

*M.* Réstitit in foro.

*P.* Cur eum tecum non adduxisti ?

*M.* Ipse atramentum volebat émere.

*P.* Imo vero pira, mala, aut áliquid áliud e cæteris frúctibus.

*M.* Néscio quid, tamen mihi id dixit.

*P.* Quum sitis fratres, cur non habetis domi atramentum commune in ampulla ?

*M.* Frater nihil vult habere mecum commune.

*P.* Vult ígitur ómnia sibi própria.

*M.* Hoc est, profecto.

*P.* Indica mihi quum vénerit, ego eum, quid fratérnitas sit, docebo.

*M.* Fáciam, Præceptor.

*P,* Abi in locum tuum.

---

## COLLOQUIUM XL.

ARGUMENTUM : *Puer a Præceptore abeundi facultatem petit, ut patri in scribendo aliquid adiumento esse possit.*

**Discípulus. Præceptor.**

LICETNE mihi, Præceptor, hora secunda abesse ?

*P.* Quid habes negótii ?

*D.* Pater eget ópera mea.

*P.* Qua in re ?

*D.* Ut sibi áliquid scribam.
*P.* Sed tu ínterim, quod tibi assignatum est, non disces.
*D.* Quin iam étiam dídici.
*P.* Factum bene.
*D.* Placetne tibi me audire ?
*P.* Mox áudiam.
*D.* Permittisne ígitur, Præceptor, ut absim ?

*P.* Esto, permittam, sed ea lege, ut cras mihi scriptum adtúleris testimónium.

*D.* Ut semper fácere consuevi, testimónium aut a patre, aut a fámulo eius nómine scriptum ádferam.

*P.* Pater óptime státuit. Non enim desunt áliqui apud nos qui me mendáciis páscere tentent, nunc vero abi, patremque meis verbis salutare velis.
*D.* Fáciam, Præceptor, ut iubes.

---

## COLLOQUIUM XLI.

ARGUMENTUM: *Præceptor audiens fratrem* Caperoni *ægrotare, eum domum duci mandat.*

**Præceptor. Caperonus.**

HEUS, *Caperone!*
*C.* Hem, Præceptor.
*P.* Quid flet frater tuus ?
*C.* Ægrotare se ait.
*P.* Unde sibi constat se ægrotare ?
*C.* Satis apparere videtur.
*P.* Quibus indíciis ?
*C.* Quod paulo ante vómuit.
*P.* Quid illi dolet ?
*C.* Caput & stómachus, ut dicit.
*P.* Cur domum se non récipit ?

*C.* Háctenus ausus non est.

*P.* An nec tu es ausus me de ea re edocere? Age, deduc eum domum tu ipse, matrique, ut ipse sit, diligenter narra. Própera; quid cunctaris? Caute tamen, ac lento gradu ito.

*D.* Deducam eum prótinus, Præceptor.

---

## COLLOQUIUM XLII.*

ARGUMENTUM: *Puer nimium dormire solitus, ob tarditatem in scholam veniendi reprehenditur, et ad mutandum morem humaniter admonetur.*

**Præceptor. Tilíacus.**

HEUS, *Tilíace,* séquere me in cubículum; est quod te seorsum monere velim.

*T.* Adsum, Præceptor.

*P.* Nunquamne tempestive in scholam vénies?

*T.* Matúrius venire non possum.

*P.* Tu hoc semper obiectas; quid te ímpedit?

*T.* Nemo domi nostræ est qui me expergefáciat.

*P.* Nemone?

*T.* Prorsus nemo.

*P.* Non habetis ancillam?

*T.* Habemus quidem, sed ea has res curare non potest.

*P.* Imo ut opinor, tu ipse non curas súrgere. Nonne verum dico? Quid taces? Responde nunc tandem áliquid.

*T.* Me míserum: quid agam.

*P.* Nihil est cur terréfias; fatére verum.

*T.* Quid si confítear?

*P.* Crede mihi, tibi ignoscam, modo te verum fateri compériam.

*T.* Ah, pudet me.

*P.* Nihil est quod te púdeat, de nulla enim re indecora

* Novum scriptum ex magna parte.

ágimus. Eligendum tibi erit inter verum ac falsum. Quodsi falsum elégeris, vapulabis. Pergin' tacére ? -- Heus, observator, vise matrem eius et roga !

*T.* Noli eum mittere, *ó*bsecro, Præceptor ; totam rem tibi apériam, nihil reticebo.

*P.* Fac, esto ánimo bono.

*T.* Sic est, profecto, Præceptor, ut dixisti.

*P.* Non satis istud est ; volo audire ómnia singillatim. Narra mihi plane quemádmodum se tota res hábeat.

*T.* Quum quis mihi iánuam pulsat, ut e somno éxcitet, primum non respóndeo, quasi profundo somno sim mersus ; dein, si ultérius urget, mússito sonos incertos, quo fit ut pulsare cesset, me autem porro dormire sinat. Si ad lectum accedat, caput ægre levo, étiam vestem quámlibet ad manum, quasi prótinus surrecturus apprehendo, tamen íterum obdórmio.

*P.* Pulchre hæc narras, médius fídius ;[1] nunc te hoc magis amo quam ántea. Perge !

*T.* Símulac recésserit excitator, íterum recumbo, lodiceque me opério.

P. Etiamne redormis ?

*T.* Hoc plerumque fit, et quidem plácide.

*P.* Et usque quo hoc durat ?

*T.* Usque dum áliquis íterum me turbet.

*P.* Quid dicit frater si te álteram in vicem dormitantem réperit ?

*T.* Exclamat, vociferatur, insanit.

*P.* Quibus útitur verbis ?

*T.* 'Hem, nébulo,' inquit 'quando eris in schola ? Déferam te ad præceptorem, ut te prófliget ; tu, nisi bis-terque exagiteris, nunquam surgis, pigra massa ?[2]

*P.* Te púerum ingeniosum cognosco : tu certe pérspicis te non iuste & æque fácere, nec segnítiem tam turpem tibi decori esse. Promitte ígitur bona fide, posthac offícium te facturum.

*T.* Spóndeo, Præceptor, si unquam récidam, non obtestabor quóminus virgis prótinus cædar, idque acerbissime.

*P.* Belle quidem spondes, sed quómodo fidem servabis ?

*T.* Deo iuvante servabo.

*P.* Deus tantum volentes iuvat. Velle autem te comprobabis si mores in meliores mutes, hoc est, si agas quod offícium te ágere iubet. Primum ómnium officiorum est, ut sis semper verax.

*T.* Iam non ámplius méntiar.

*P.* Si propósito stabis, felix eris.

*T.* Prima felicitatis meæ conditio est, ut tu mihi ignoscas, ne te mihi infensum esse sciam.

*P.* Culpam tibi libentíssime condono, modo sciam te ad meliorem frugem[3] rediturum.

*T.* Firmíssime decrevi ad saniora redire, nec te ullo modo fallam. — Quid ígitur próhibet quóminus liber ábeam ?

*P.* Imo est áliquid quod ultro animadvertas. Mane adhuc, et audi étiam hæc :

*T.* Manebo, quámdiu voles, Præceptor.

*P.* Inter cætera excútias oportet crassam istam pigrítiam, quæ te lecto detinere solet : non enim decet studiosum adolescentem somniculosum esse et inertem, sed pótius álacrem ac vígilem, ut óptimos studiosorum esse cognoscis. Memíneris mónitum Poetæ.

*T.* Néscio verba.

*P.* *"Ut vivas, vígila."*[4]

*T.* Non mémini ea audivisse, sed probo et ipse morem prima luce surgendi.

*P.* Nec opus est ut quis perpétuo ante lucem, vel dilúculo[5] surgat ; satis est æstate hora sexta aut quinta, súrgere, præsertim ruri, hyeme autem séptima aut sexta. Ego certe turpíssimum iúdico mane totum[6] dormire, et salubérrimam pulcherrimamque diei partem pessum dare.

*T.* Etiam ego dum & quando prima luce, plane ante solem surgo, et scio me nunquam pœnituisse.

*P.* Optime dicis. Quin et áddere póteras te voluptatem ex eo percepisse, quæ quidem haberi quotídie potest, nosmet ad mature surgendum assuefaciendo. Decumbe paulo post cœnam, ad dilúculum satis dórmies, si autem cavére vis ne ultra tempus statum obdormiscas, *excitâbulum*, seu horológium crépitans, tibi secure invigilabit, et quando voles te e somno evocabit.

*T.* Plúrimas grátias tibi reddo Præceptor perhumane: posthac mature cúbitum ibo, matureque perpétuo surgam, curabo quoque ut excitábulum mihi invígilet.

1. **Médius fídius**, etiam **médiusfídius**, Me Deus Fidius (*h. e.*, Iupiter, Deus fidei ac fidelitatis) sic iuvet; Deum bonæ fidei, testem meæ veracitatis invoco.

2. **Massa**, est substantia quælibet quæ conglobata v. conferta in cumulum cohæret, veluti farina v. humus aqua admixta; quæcunque moles, ferrum, lignum, lapides, pecunia; materia iners, ut hic, lingua colloquiali, dicitur de homine inerti, qui est veluti cadaver, materia sine vita.

3. **Ad meliorem frugem**, ad bonam frugem, ad frugem redire, reverti, se applicare, adhibere, sunt phrases, e nomine subst. **frux, gis,** *f.*, potissimum in plurali, **fruges, um,** producta terræ, esca, cibus; hinc **frugi**, in dativo, est id quod aptum est esu, quod utile, bonum, probum, honestum est, **homo frugi**, homo sanus, sobrius, honestus, gravis, commendabilis.

4. Hor. Flacc. Sat. II. 3. 152.

5. **Dilúculum, i,** dis + luceo, elucesco; tempus, quando lucescit, dilucescit, aurora, summum mane, ante ortum solis. Huic opponitur **crepúsculum**, tempus post occasum solis, ubi tenebrascere incipit.

## COLLOQUIORUM SCHOLASTICORUM

## MATVRINI CORDERII, GALLI,

# LIBER IV.

## COLLOQUIUM I.

ARGUMENTUM : *Amicus amicum sine spe lucri aut emolumenti iuvat.*

**Perialdus. Sámuel.**

OBSECRO te, *Sámuel*, fer mihi opem paulisper.

*S.* Quid mali tibi áccidit ?

*P.* Néscio quid íncidit mihi in óculum, quod me valde male habet.

*S.* In utrum óculum, íncidit ?

*P.* In dextrum.

*S.* Vis inspíciam ?

*P.* Inspice, amabo.

*S.* Aperi quantum potes, teneque immóbilem.

*P.* A nictu me continere néqueo.

*S.* Sine, pálpebram egomet tenebo manu sinistra.

P. Placet ; ecquid vides ?

*S.* Vídeo áliquid minutum.

*P.* Exime, quæso, si potes.

*S.* Quin iam exemi.

*P.* O factum bene ! Ostende, quid est ?

*S.* Cerne tu ipse.

*P.* Est mica púlveris ; putabam unum ciliorum esse.

S. Nequaquam, est gránulum púlveris, et quidem usque ádeo minutum, ut vix cerni possit.

*P.* Vide quantum doloris áfferat óculis res tam exígua.

*S.* Haud mirum quidem. Nullum enim e membris exteri-

óribus óculis tenérius esse dícitur. Inde étiam fit ut iis chárius nobis nihil esse videatur.

*P.* Procul dúbio ea est rátio quare Romani omnes sibi charos, præsertim proles, "*ocellos*" appelláverint.

*S.* Inde quoque vocantur púeri, præseritim discípuli, "*púpuli*," ac "*pupilli*."

*P.* Non mihi rubet óculus ?

*S.* Aliquántulum ; nempe quia fricuisti.

*P.* Credin' tu adhuc mihi dolere ?

*S.* Quidni credam, qui talem moléstiam tóties sim expertus.

*P.* *Experiéntia est rerum magistra.*

*S.* Ita vulgo dícitur.

*P.* Quid mercedis dem médico huic pro labore ?

*S.* Quantum pacti sumus.

*P.* Brevis est conclúsio : *ergo* nihil. Tamen hábeo tibi grátiam, atque útinam aliquando repéndere mihi detur.

*S.* Quin pótius avertat Deus !

*P.* Bene correxisti ; imprudenter, sed sine dolo dixi.

*S.* Sic accepi. Cæterum iocari licet, præsertim si nos eadem ópera étiam in Latina lingua exercemus.

*P.* Atqui hoc fuit, estque, nostrum propósitum.

---

## COLLOQUIUM II.

ARGUMENTUM : Alexander *gratias agit* Charulo *ob id quod hic ei commodavit.*

**Alexander. Chárulus.**

ECCE, reddo tibi commodatum; máximas grátias tibi hábeo et reddo.

*Ch.* Non est quod agas ; sed satisne usus eras ?

*A.* Sat diu usum mihi concessisti, quæ tua est humánitas.

*Ch.* Quóties tibi opus fúerit rebus meis, quæso, ne parcas.

*A.* Non parcam, quando ita iubes.

*Ch.* Pergratum mihi féceris.

*A.* Grátiam hábeo máximam ; tu vero nostris vicissim útere, si quid opus fúerit.

*Ch.* Non est quod móneas : satis mea sponte sum ímpudens.

*A.* Imo verecundus nimis.

*Ch.* Esto ; aliquando tamen sénties.

*A.* Ita velim, bene váleas.

*Ch.* DI te bene ament.

---

## COLLOQUIUM III.*

ARGUMENTUM : *Duo studiosi adultiores de rationibus disciplinarum litterarium disputant.*

**Desidérius. Maximilianus.**[1]

POTESNE, mi *Maximiliane,* mihi explicare, quorsum tandem ista tam multifária stúdia spectent, quibus nos in scholis obrúimur ?

*M.* Eo sane ut erudiamur, & ad vária vitæ offícia informemur ?

*D.* Sed, ut recte ais, vária sunt vitæ offícia, quid ígitur ínterest ut sínguli nostrum iisdem disciplinis exercitemur ?

*M.* Non perspício quorsum verba tua tendant.

*D.* Utique eo quod áliqui nostrum clérici,[2] legumperiti,[3] álii mensores,[4] architecti, fabricatores, mílites, mercatores, aut étiam agrícolæ evádere cúpiunt. Quid iuvat priores *álgebra,*[5] *geometría, mensurátio,* quid posteriores linguæ Clássicæ, história Romana, poesis, rhetórica ?

* Placuit etiam hoc Colloquium **Corderianum** penitus obsoletum et anile excutere, eique novum, potius philosophicum quam puerile, sufficere. Necesse enim putamus ut, quum res postulat, seria quoque legantur, quæ intellectum & iudicium exerceant.

*M.* Mémini hæc taliaque me in tríviis crebérrime audivisse.

*D.* Imo vero hómines rerum periti hæc urgent, qui nos 'non pro schola, sed pro vita' institui oportere contendunt.

*M.* Potesne tu, aut tui 'rerum periti,' mihi osténdere, quid, cui, & quátenus *útile* aut *inútile* sit? Potesne me docere, quo tandem pacto *pro vita*, non *pro schola* instituamur?

*D.* Hoc ita exístimo fíeri posse, ut quisque nostrum iam in antecessum sciat, quem vitæ statum sibi elígere velit, ac tum ea nónnisi stúdia prosequenda sibi éligat, quæ eo conferre possint.

*M.* Ostende exemplo.

*D.* Exempli causa: si ego rústicus fíeri cúpio, certe linguæ ac lítteræ Clássicæ eo nec quidquam cónferent.

*M.* Bene mones; sed perinde nihil iuvabunt philosphía, mathesis, história, *astronomía*,[6] poesis, rhetórica; nihil profecto iuvat, nisi ulteriores duæ manus. Verum ítidem est de quólibet álio vitæ statu prædicandum, in quo duo ulteriora crura, aut duo cápita, quatuor óculi, equinum aut taurinum corpus maiori forent adiumento quam quælibet mentis cultura.

*D.* Hoc nego. Nam sunt hómines qui cultura eiúsmodi egent, ut puta, sacerdotes, médici, iurisconsulti, magistri; ea tamen adminículo linguarum modernarum, quæ multo utiliores sunt, æqua facilitate comparatur.

*M.* Neutrum est verum. Nec enim theólogi,[7] nec médici, nec causídici, neque magistri egent astronomía, philología,[8] poesi, ex una parte; nec linguæ modernæ sine adminículo grammáticæ ac thesauro linguæ Latinæ Græcæque, atque notítia antiquitatum rite intélligi & comprehendi queunt.

*D.* Sed leguleium iuvat rhetórica, história, cognítio institutorum Romanorum; médicum iuvat chemía, história naturalis; mensorem, architectum, omnesque téchnicos, physica, chemía,[9] geometría, álgebra, aliaque. Sic cæteros quoque ea tantum prósequi oportere árbitror, quæ ad suam artem quodam modo fáciant.

*M.* Absurdum & ábsonum dísputas. Si própositum hoc sa-

num esset, aut ipsa rerum natura áliquos hómines iam in antecessum membris córporis ad suum statum aptióribus ac speciálibus munivisset, aut certe hómines proles suas iam in cunis[10] ad artes speciales informandas peritis commítterent, ut inde ab incunábulis, usque dum adoléverint, nihil nisi ius, medicinam, theologíam die-noctuque audirent. Quid ? Non mundus universus tibi desípere[11] mérito videretur ? Adde ínsuper, quod nemo mortálium est chémicus, téchnicus, ártifex,[12] faber aut agrícola omni hora vitæ suæ. Artes et opifícia adminícula sunt victus, et iidem qui his victum ac quæstum exercent, sunt eodum témpore étiam patres, fratres, mariti, cives reipúblicæ, sunt hómines, membra societatis humanæ, unde diversa múnia[13] et offícia in eos redundant, quæ novisse, quibus rite obire, plus refert quam habílitas victum merendi étiam vaférrima.[14] Postremo, perinde ac victu homo bélluis dissimilis est, — eæ enim aut sola carne, aut solo fœno & herbis, aut dénique solis frúctibus vescuntur, homo vero his ómnibus, — sic étiam solum ingénium humanum ómnium ártium bonarum est capax. Quum ígitur hóminem ad unam artem relegandum esse contendis, & hoc veluti merum adminículum vitæ, eum ad statum belluarum detrudis.

*D.* Absit. In eam senténtiam mínime dísputo, nec tua argumenta probatíssima esse infítias ibo ; tu tamen ipse ultro fatéberis haud pauca in scholis nostris vigere, quæ studiosorum nihil intersint. Quid de theoría artis rempúblicam gubernandi, de psychología,[15] de physiología, de hygienía, de œconomía política, cæterisque eiusdem géneris ?

*M.* Hæc & simília ad Philosophíam spectant, non inter rudimenta. Qui hæc in ludos ínvehunt, *"mutant quadrata rotundis,"*[16] perinde atque ii, qui studiorum génera a discípulis ad lúbitum sibi éligi posse ac debere sómniant.

*D.* Quid ígitur facto opus est ?

*M.* Experiéntiam humanam, & naturam ducem ac magistram audiendas esse árbitor, ne aut menti, aut córpori nímium tribuatur.

1. Est nomen, non quidem Romanum, sed Latinum, quod Germani & Iudæi (quibus idem valet ac *Moshe*, seu *Moyses)* in *Max.* decurtare solent.

2. **Cléricus, i,** est adi. e substantivo **clerus, i,** voc. Græcum, quod statum sacerdotum indicat; qui ad sacerdotium spectat.

3. Vel etiam **legisperiti,** peritus legis, v. legum, iurisconsulti, iurisconsultus, qui scit ius, qui litigantibus consilia impertit; ut titulus plerumque **ICtus,** scribi solet. Idem est atque **advocatus,** quem litigator in consilium **ad vocat.** Contra, **leguléius** est advocatus non adeo doctus et peritus, quam loquax, verbosus, disputator; **causídicus,** est qui causam alicuius coram iudice dicit, seu **causatur;** per ironiam sæpe dicitur pro *advocato*; denique **rábula** est qui potius clamore & vociferatione, aut sophismatibus arguit, quam scientia & eloquentia.

4. **Mensor, oris,** et **agrimensor,** idem qui Græcis **geómetra,** qui metitur agros, terram; qui moles, vias, machinamenta dimetitur, delineat, proiicit, molitur, effingit; "Cautus humum longo signavit limite *mensor.*" Ovidius, Met., de Ætate Aurea. —**Architectus, i,** Græcum, qui domos, aliasque ædes delineat et struit.

5. Ex Arabico *al* + *dshebr*, partium in integrum compositio, quod ex Hebraico *gevirah* v. *gevurah*, potestas, vis, explicari potest; est disciplina mathematica notissima, Romanis ignota.

6. **Astronomía, æ,** scientia stellarum, primum a Séneca (Ep. 96) adhibetur.

7. **Theólogus, i,** est is, qui de *Theo* seu *Deo*, rebusque Divinis desserit; adhibetur a Cicerone (De Nat. Deorum III. 21 &c.): *theologíam*, teste Aurelio Augustino, Varro primus adhibuit.

8. **Philología, æ,** amor linguarum, occurrit apud Cic. (Att. II. 17), **philólogus** autem apud Suet. et Senecam.

9. **Chemía,** e Græco sequiori *chemeia* + Arab. *Al*, sic *Al-chemia*, fundere, effundere, saporem plantarum in usum medicum extrahere; hinc cognitio fusionis liquorum, mixtionis liquidorum, modo est scientia res naturæ in sua elementa solvendi, aut elementa hæc in varia producta commiscendi.

10. **Cunæ, arum, incunábula, orum** lectica infantum mobilis.

11. **Desípio**[3] (apud Lact. etiam *præterit.*-**ui**), sapientiam amitto, insipiens fieri.

12. **Téchnicus, i,** est is, qui artibus materialibus occupatur; apud Quintilianum (II. 12) est præceptor, vel institutor eiusmodi artium. Est vocabulum Græcum.

13. **Múnia, orum,** sunt ea quæ alicui ad agendum, v. faciendum obversantur; múnera, offícia, quibus tenemur et obligamur.

14. Scitissima, peritissima.

15. **Psychologia, æ,** est Græcum, ex *psyche*, anima atque, *logía*, loquela; est scientia operationis facultatum animæ. Non est Romanum, est scholasticum. — **Physiologia, æ,** "ratio naturæ," ut Tullius vertit; scientia virium naturæ. — **Hygienia, æ,** est Græcum, ex **Hygieia**, filia Æsculapii, Dea sanitatis, quod est ex *hygies*, sanitas : ea forma Romanis ignotum ; est scientia sanitatis conservandæ. — **Œconomía, æ,** est e Græcis vocabulis *oicos*, domus (hinc *vicus* Latinorum), atque *nomos*, usus, lex, regula, quasi *domus ordinata*, principia domum regendi. "Œconomía, quæ Græce appellata ex cura rerum domesticarum, & hic per abusionem posita, nomine Latino caret." Quint. III. 3. 9, et alias. Hæc & similia vocabula scholasticorum sunt, ex ea parte philosophiæ deprompta, quæ *Metaphysica* appellatur.

16. Hor. Flac., Epist. I. I. 100.

---

# COLLOQUIUM IV.

ARGUMENTUM : *Observator apud fratrem discipuli conqueritur.*

**Observator. Baptista.**

CERTIOREM te esse volo, *Baptista*, fratrem tuum in contione continuo aut garrire, aut álio modo ineptire, aut dénique álios turbare & incitare, ex quo fit ut crebérrime notandus sit, deinde vápulet.

*B.* Quid vis fáciam ?

*O.* Cur non eum solértius obiurgas ?

*B.* Nunquam désino eum reprehéndere.

*O.* Perge, precor.

*B.* Posthac quoque eum increpabo, donec áliqua ex parte se corréxerit.

*O.* Sic rite usurpabis Catonis præceptum, "*Si móneas áliquem* . . ." cætera nosti.

*B.* Sed oro te, mi *Nicolae*, ut quóties eum notáveris, id mihi prótinus núnties.

*O.* Nunquam finis esset, ádeo frequens est nomen eius in meis nótulis.

*B.* Saltem semel fac me certiorem quum primum commíserit quo sit accusandus ; tum ego eum ad patrem déferam, cuius verba ipse plus veretur quam ipsa vérbera.

*O.* Argumentum non mediocre est hoc bonæ índolis.

*B.* Non secus et mihi videtur. Fácies ígitur quod te rogavi.

*O.* Fáciam próxime, et hoc libenter.

---

## COLLOQUIUM V.

ARGUMENTUM: *Exemplo commendatur taciturnitas, qua consilia amicorum celentur, simul etiam notantur ii, qui in aliorum secreta avidius inquirere solent.*

**Patrítius.* Melocus.**

QUID consílii tractabas modo cum Præceptore ?

*M.* Si scire cupis, illum percontare.

*P.* Cur me id celas ?

*M.* Ut id palam ne fácias.

*P.* Non ídeo, crede mihi, te rogo ut id próferam; quid enim eo perfícerem ?

*M.* Quare ígitur tam cúpide rogas ?

*P.* Nimirum ut mecum tácitus gáudeam, si quid boni audíveris.

*M.* Itane paratus ádvenis, ut a me extórqueas quod mihi uni, idque a Præceptore, créditum est ?

*P.* Quod mihi díxeris, surdo et muto dictum puta.

*M.* Egone tergum meum in fidem tuam committam ?

*P.* Id profecto potes, et quidem sine perículo.

*M.* Nunquam mihi dices tam cómmode, ut istud mihi persuádeas.

*P.* Dabo fidem me taciturum.

*M.* Etiamsi ter-quaterque sanctissime iuráveris, non prodam. Proinde tu désine percontari.

*P.* Hem, ubi est illa nostra amicítia ?

*M.* Nescis dictum illud Sapientis: "Quod tácitum esse vis, némini díxeris ?"

*P.* Audivi aliquóties; sed quod amico dictum sit, némini dictum videtur. Est enim amicus quasi alter idem.

*M.* Eadem tibi dicet qui id ex te rescire volet, et íterum álius quíspiam, qui ex illo, atque ita ad aures ómnium pervéniet. Itaque si me tibi posthac amicum esse vis, me missum fácito.

*P.* Non sum imperator ut te missum fáciam.

*M.* Pergin' molestus esse ?

*P.* Abire malim quam tibi moléstiam exhibere.

* Nomen hoc ab universis fere scriptoribus ut *Patricius* usurpatur; est nomen quodammodo nationaleHibernorum, qui id constanter *Patrick* scribunt & efferunt. Error tamen est etiamsi orbis universus approbet. — *Corderius* noster recte et probe scripsit, quem nos libenter sequimur. Theoria hæc est: Ut terminatio **cio**, sic et **cius** nullo fundamento etymologico nititur. Perinde atque *accio; faccio*, *erudicio*, *celebracio*, *condicio*, *salutacio*, Latine non sunt, sic non sunt Latine *facticius*, *adventicius*, *empticius*, *patricius*, & cætera eius generis. Stemma & origo horum est *participium perfectum*, **tus, ta, tum**, unde: actus, factus; celebratus &c., dein: emptus, patrítus (velut *matritus*, Matritum, *Madrid*). Ex his nova adiectiva formantur (aut nomina substantiva, ut res postulare possit), ut; act*us* v. act*um*, act*io*; condit*us*, condit*io*; emptus, empt*ítus*, empt*itius*; pater, patr*itus*, patrit*ius*. Nemo sibi persuadeat terminationes Latinas crepundia lignea v. straminea, sine sensu, esse, atque casu fortuito, aut ad cœcum libitum formari, vocabulisque temere, absque consilio apponi. Habent eæ suas rationes, quas ignorare, aut ex inscitia curiosa affectare, turpissimum est.

---

## COLLOQUIUM VI.

ARGUMENTUM: *Hic observari licet exemplum pueri morigeri.*

**Márius. Nónius.**

QUANDO vis abire domum ?

*N.* Néscio; quum patri sic visum fúerit, eius enim voluntas mihi lex est.

*M.* Quid si pater te súbito ávocet?

*N.* Si id fécerit, intélligam causam sublatere, quare me tam repente domum vocet.

*M.* Quid si tibi ália esset voluntas et ália patris?

*N.* Non est meum hac de re disputare; sed, ut confido, pater me non témere accerset.

*M.* Nec ego áliter séntio, nec nisi te tantisper tentare, et tecum sermocinari vólui.

*N.* Gáudeo nunc nostrum sermonem non fuisse meras nugas.

*M.* Etiamsi nugæ essent, útinam in scholis nostris eiusmodi nugis, modo Latine, exercitaremur.

*N.* Et quare non sic exercitamur?

*M.* Partim quod plúrimi magistrorum partim Latine nésciunt, partim satis sciunt, sed usum linguæ non habent, partim autem, et hoc plerumque, quod suæ perítiæ, errores nimium metuentes, non confidunt.

*N.* Attamen 'errando discimus.'

---

## COLLOQUIUM VII.

ARGUMENTUM: *Exemplum sollicitudinis paternæ saluti prolium consulentis.*

**Marthoreus. Hieremías.**

QUA pecúnia emisti librum istum?

*H.* Qua censes, nisi mea?

*M.* Miror unde hábeas.

*H.* Quid miraris? An tibi rationes réddere débeo?

*M.* Egone éxigo?

*H.* Videris exígere.

*M.* Non éxigo, inquam; sed sic solemus ínter nos familiáriter et libere fabulari, ut Latine áliquid contínuo discamus.

*H.* Ea res, fáteor, nobis ad facultatem Latine loquendi

plúrimum confert; nemo tamen est quin interdum, præsertim causa data, lenis ut ipse sit, subirascatur.

*M.* Est, ut dicis; sed est brevis puerorum ira.

*H.* Pecúniam autem quod ádtinet, eam a patre accepi.

*M.* Quando fuit hic ipse?

*H.* Octo circiter dies ab hinc.

*M.* Miror me ei non occurrisse.

*H.* Non est quod mireris.

*M.* Quid ita?

*H.* Quia vix sesqui horam hic moratus est. Simul enim ac vectábulo ante portam descénderat, meque conspéxerat, "ascendamus" inquit "in tuum cubículum, ut tecum libérius cólloquar."

*M.* Sed antequam narres cætera, scire velim, quid adventus eius tam inopinatus sibi vellet.

*H.* Falso quodam rumore, ut fit, audíverat me ægrotum esse.

*M.* Quid ille, quum præter spem te valentem invenit?

*H.* Mirífice affectus est gáudio.

*M.* Quis dúbitet.

*H.* Prætérea, étiam Deo ex corde grátias egit máximas.

*M.* Iusta de causa; perge quæso.

*H.* Tunc me de valetúdine percontatur, tum sédulo quærit siquid mihi opus sit. "Est," inquam, "pater." "Qua" inquit "re eges?" "Libro," inquam "égeo, dimídio centussi." Tum ille promit e crumena quincentusses, eosque mihi pórrigit, quo facto, mihi valedicit, ac prótinus discessit.

*M.* Cur tibi tam multo plus dedit quam tibi opus erat?

*H.* Istud inepte quæris. Scílicet ita lætus erat, quod me incólumem repérerat, ut si vel decentussem petivissem, fácile dedisset.

*M.* Certe tibi munificentíssimus admodumque liberalis est pater.

*H.* Ita et ego exístimo; attamen ego patrem nullum nisi

liberalem ac filiorum amantem ne concípere quidem possum. sed nunc iam tempus esse puto ut ad prælectionem propreremus.

*M.* Sic est, iam instat hora secunda.

*H.* Mihi quidem iam parata sunt ómnia.

*M.* Mihi quoque.

*H.* Discedamus ergo in auditórium.

---

# COLLOQUIUM VIII.

ARGUMENTUM: *Exemplum iuvenis, qui spreto consilio parentum, militiæ nomen dedit.*

**Sonérius. Villáticus.**

VBI est nunc frater tuus natu máximus?

*V.* Ivit in milítiam.

*S.* Quid ais? in milítiam!

*V.* Sic res est.

*S.* Sicne ígitur lítteris valedixit?

*V.* Iam pridem cepit eum litterarum satíetas.

*S.* Quid ita?

*V.* Néscio qui id factum sit, nisi quia libérius vívere cupíverit.

*S.* Quómodo permisit pater?

*V.* Quid? putas patrem id permisisse? Quin eo absente, matre autem invita profectus est.

*S.* O míserum adolescentem!

*V.* Imo vero misérrimum.

*S.* Quid ipse fáciet?

*V.* Id quod cæteri, qui illud vitæ genus sequuntur: nempe gloriábitur, maledicet, mentietur, potabit, fiet aleator, vagábitur, et, quum iussus fúerit, spólia, latrocínia et carnificinam exercebit.

*S.* Estne isthæc vita militaris?

*V.* Ex magna parte.

*S.* Unde scis istud?

*V.* Num quis de ea re áliter sentit? An non est res pátula.

*S.* Tamen sunt étiam mílites probi et boni, quorum mores non minus sunt commendábiles quam aliorum.

*V.* Nec ego hoc dúbito. Multi enim præclari iúvenes, ex óptimis paréntibus nomen milítiæ dant, quin ídeo móribus solúti sint. Hi tamen coacti sérviunt. At illi, qui sunt *voluntárii*, hoc est, qui milítia non obligantur, eamque sua sponte quærunt, non sunt óptimæ frugis.

*S,* Negari non potest milítibus plura licere quæ magistri morum non probant; tamen étiam verum est disciplinam militarem plúrimis salubérrimam esse.

---

## COLLOQUIUM IX.

ARGUMENTUM: *Exemplo docemur nimiam lenitatem matrum erga proles sæpe exitiosam esse, nec nimiam severitatem patrum probandam esse.*

**Lucas. Orósius.**

AVDIO fratrem tuum e Germánia iam reversum esse.

*O.* Recte audivisti.

*L.* Solusne rédiit?

*O.* Non omnino.

*L.* Quis ígitur venit cum illo?

*O.* Quidam civis huius óppidi, qui fere biénnium illic habitáverat.

*L.* Quid ivit frater in Germániam?

*O.* A patre fuit eo missus, ut Germánice loqui dísceret.

*L.* Quare ígitur ibi diútius non permansit?

*O.* Iam matris desidérium ámplius ferre non póterat.

*L.* O tenellum adolescentem! quotum agit annum?

*O.* Séptimum et décimum, si mater recte méminit, a qua id sæpius memoratum audivi.

*L.* Dic, quo vultu est eius adventus a patre exceptus?

*O.* Rogas? Pater adspectum eius sustinere non póterat; quin étiam nec salutatione eum dignatus, nec allóquio, iussit eum e conspectu abscédere.

*L.* Prætérea quid?

*O.* Nisi mater cum lácrymis intercessisset, apparitorem accersi iubebat, qui míserum in cárcerem coniíceret.

*L.* Atqui non póterat iniussu magistratus.

*O.* Néscio; tamen conabatur.

*L.* Quid póstea factum est? Vestræne domi dormivit?

*O.* Mínime vero.

*L.* Ubi ígitur?

*O.* Nostin' virum sororis meæ?

*L.* Tamquam dígitos.

*O.* Ad eum missus est a matre, dum ira patris defervésceret.

*L.* Quid tandem áccidit?

*O.* Egit mater cum propinquis et amicis nostris, ut iram patris mitigarent.

*L.* Sicne dénique frater tuus cum patre in grátiam rédiit.

*O.* Id non fuit magni negótii. Iam enim patrem cœperat pœnitere quod sic excanduisset, quodque fílium tam gráviter accepisset.

*L.* Nempe iram eius dies leníerat.

*O.* Ea tamen lege recepit illum, ut promítteret se in Germániam rediturum statim a vindémia.

*L.* Vide quam ineptus sit iste in matres nostras affectus.

*O.* Atqui ipsæ matres sunt in causa, quare nos tam immoderato amore prosequantur.

*L.* Naturam cógere diffícile est.

*O.* Tenesne versum *Qu. Horátii Flacci* in hanc senténtiam:

*L.* *"Naturam expellas furca licet, usque recurret."*

*O.* Sed quid hæc agitamus? Dum hic fabulamur, a lusu cessatum est.

*L.* Nihil mali inde nobis áccidet, iam ad disputationes conveniamus.

---

## COLLOQUIUM X.

ARGUMENTUM: *Hic nomina recitantur olerum aliquot. De* Moreto *Virgilii. De indulgentia matrum. De amore parentum erga proles.*

**Conradus. Linus.**

VBI fuisti hódie post prándium?

*L.* In horto præceptoris.

*C.* Quid illuc ivisti?

*L.* Ille me ólera collectum misit.

*C.* Quæ tandem ólera collegisti?

*L.* Omnia vix enumerare possum.

*C.* Mémora ea saltem, quæ tibi íncidunt.

*L.* Sed quare hoc quæris?

*C.* Ut ínterim rerum quarundam nómina, quæ parvuli didícimus, memória teneamus, neque ea nobis mente éxcidant.

*L.* Iuvat tália exercitando in memóriam revocare, quum ótium nobis súppetit. Audi ígitur: collegi állia, serpyllum, porros, cæpas, nastúrtium, cuminum, fœnículum, thymum, amáracum, hyssopum, ápium, sálviam, saturéiam.

*C.* Quas adhuc enumerasti, herbæ sunt odoríferæ.

*L.* Sic instítui, grátia memóriæ.

*C.* Perge porro.

*L.* Pauca prætérea restant, uti beta, cichórium, lactuca, óxalis, eruca, brássica, portulaca; plures non mihi íncidunt.

*C.* Qui potuisti étiam tot meminisse?

*L.* Scriptum catálogum a Præceptore accepi.

*C.* Cognovístine herbas has omnes?

*L.* Cognovi, alioquin eum interrogassem.

*C.* At ego omnes non novi, quamvis nómina didícerim.

*L.* Ego tibi étiam plures demonstrabo, quum nobis in hortum ire licúerit.

*C.* Multasne tecum adtulisti?

*L.* Plenum calathum.

*C.* Sed quantum de síngulis?

*L.* Nimis es curiosus. Quid putas? De síngulis ádtuli quantum satis fuit.

*C.* Tametsi curiosus tibi vídear, tamen velim hoc mihi respóndeas. Scin' tu in quem usum Præceptor tot ólerum génera curet apparanda?

*L.* Partim ut ius bene condiretur, partim ut minutal ex oléribus fíeret.

*C.* Quam bene nobis consúluit!

*L.* Optime, profecto; tamen ea non fuit causa præcípua.

*C,* Quænam ígitur?

*L.* Unquamne legisti *Moretum*[1] Virgilii?

*C.* Carmen quidem legi, sed *moretum* nunquam edi, nec vidi, quod sciam.

*L.* Ast videbis, spero. Nam Præceptor uxorem parare dócuit, et ea paravit ex illius præscripto.

*C.* Quidquamne boni apponetur nobis in cœnam?

*L.* Saltem ius búbulum pingue, bene conditum, carnes sápidæ, atque minutal[2] ex oléribus.

*C.* Unde scis ista?

*L.* Omnia hæc vidi in culina, quum adiuvare iussus eram, præcípue in meis oléribus repurgandis.

*C.* Quid moretum? Non gustábimus saltem?

*L.* Imo dábitur nobis; paratum enim est quantum satis sit ómnibus.

*C.* Ista mihi sápiunt magis præsertim æstate, quam carnes ipsæ, aut piscículi.



